XIII.

ORATIONES INAVGVRALES,

DE

TOTIDEM THEOLOGIÆ

Apicibus, Scitu non indignis, prout in promotione Doctorum in Comitiis habebantur.

Per

JOHANNEM PRIDEAUX *Exonienſis Collegii Rectorem, & SS. Th. Profeſſorem Regium.*

PSAL. 45.17.

תַּחַת אֲבֹתֶיךָ יִהְיוּ בָנֶיךָ

Hieronymus in prologo Galeato.

In Templo Dei offert unuſquiſque quod poteſt.

OXONIÆ,

Excudebat Hen: Hall, *Impenſis* Hen. Cripps, Hen. Curteyne, & Thom. Robinſon. *A.D.* 1648.

ILLVSTRISSIMO HEROI
GVILIELMO
COMITI PEMBROKIAE,

Regiæ Familiæ Archicamerario, & *Universitatis* OXONIENSIS *Cancellario Honoratissimo.*

Illustrissime Comes,

Celebre est illud inter Arabes *Proverbium*: Mundus est Cadaver, & appetentes eum sunt Canes: *Sed ad* Christi Cadaver *convolant* Aquilæ, & juventutum redintegrant, *dum ad* vomitum canes redeunt, & *à* cœlesti Ierusalem *penitùs excluduntur*, *Hos ab illis, quos commiscent* res secundæ; Adversæ *disterminant*. *Nam cum* Canis tranans *Mundi* fluvium, umbram *arripit & fallitur*; Aquila *nidificat in* Petra, & pullos *exponit* soli, *ne fallatur*. *Attonitos nos quidem fecit omnes epidemica* (*quæ adhuc non extinguitur*) *contagio*, Rerumque & fugientium dissipata conditio; *sed non prorsus* Excordes. *Unde in* publico *Musarum* silentio, *spiravit* (interpolatis vicibus) *languidior hic meus conatus*. *Qui quasi* è Golgotha *jam movit* Artus, & *satis*

 habet

habet ſi indè conſtet, Academiam tuam Afflictam, *non prorſùs fuiſſe Exanimem.* Dei Miles (*ut rectè quidam*) nec in dolore deſeritur, nec morte finitur, & videri poteſt Miſer, non inveniri. *Quantilla ſunt autem iſta quæ patimur ob peccata, qui peccare perpetuò non Ceſſamus?* Niſi Dominus *igitur* Exercituum reliquiſſet nobis ſemen, fuiſſemus ſubitò ſicut Sodoma & Gomorrah. *Hæc inculcant, quæ hìc contextui*, diſtractæ chartulæ; *non ingratæ (ut ſpero) futuræ penetranti* tuo Iudicio, *quod* Aquilinis, *quæ* procul ſunt, *diſcernit Oculis. In* Teſtibus *enim* Apocalypticis, *quàm conſpicua eſt* Eccleſiæ ſucceſſio? *quàm in* veſtibus, *conſervandus decor, modò* Virim & Thummim ſub ſint, *nec per* pompam externam *in fumos abeant?* Hoſtium Gog & Magog, *quis* admotos *non perſentiſcit hodiè* Arietes *ad* Eccleſiæ propugnacula? *Cumque ad* caligantis & laſcivientis Rationis *tribunal, Abſolutum ſiſtitur* æternæ prædeſtinationis decretum; *annon juſtè provocemus ad* Libri Vitæ *Textum? De* Decimis, Vocatione Iudæorum, & Sabbatho, *ſunt* Minoris Turbæ *Litigia, quæ* fluctus *tamen excitant in* ſimpulo, *& de quibus* Ieneriores *libentèr intelligerent, quid commodè eſſet ſentiendum. Exprobrantibus demùm ridiculè* noſtris Miniſtris, *illorum* vocationem; *annon æquum eſt, ut* ora obturemus, *& urgeamus, ut recolant propria* Pſeudoepigrapha? *Poſtremò* Moſis inſtitutio, *&* Ægyptiaca ſapientia, *alicui forſàn erit oblectamento, cùm à* gravioribus *vacaverit. Quicquid autem ſit hujus* opellæ, *Tuæ debetur* Amplitudini (Heros præſtantiſsimè) duplici nomine; Meo, *&* Academiæ: Meo; *qui ſpiritus tamdiu duxi ex* Tuæ

Benignitatis

Benignitatis Favonio: Academiæ *autem* ſtatum & profectum, *cujus æquè eſt dignoſcere ac* Cancellarij? *præſertim* Talis, *ſub cujus ductu* ſtat, & progreſſus *facit* Academia. *Sunt fortâßis nonnulli, qui* aliorum *potiùs* ſilentium, *quàm noſtrum probant* ſtudium; & *egregiè* defunctos *ſe arbitrantur, ſi non quid* ipſi poſsint, *ſed quid* nos non poſsimus *dijudicent: Atqui non eò ſe unquam demiſit Tuum* Excelſum ingenium; *quod non* minori facilitate *hujuſmodi percipit, quàm* pietate *applicat. Cui ſi non ingrata videbitur hæc qualiſcunque* gratitudinis meæ Strena *Voti compos* eſt, *qui*

Amplitudini Tuæ

ſemper fuit obſtrictus

IOHANNES PRIDEAUX.

Ad Lectorem.

HAS ſtricturas *ſponte jam patior publicari (Lector Benevole) ne me invito aliàs diſtraherentur; non quòd aliquid* reconditi aperiant *ad* Doctiorum inſtitutionem, *ſed quia* controverſa *nonnulla attingunt, in quibus* Infirmiores *hæſitent*, & aliquid comprehenſi *cupiant. Vt autem in* Implicatioribus *hujuſmodi facilè eſt* ceſpitare; *Ita ferendus eſt ab* Ingenuis *diſſenſus, qui* pacem *non turbat Eccleſiæ; ſed* æmulo *Inquirentium* ſcrutinio *accendit* facem. *Atque haud ſcio, an quicquid contigerit moleſtiùs* mulieri *ex* Eremo reduci, *quàm* Filiorum *ſuorum de* Adiaphoris *Rixæ non neceſſariæ; quæ præcipuè inter* Tales *recrudeſcunt, qui* pium eſſe & pacificum, *vix commodè cohærere autumant. Nec* piorum *minùs* retardant *molimina*, & retundunt *conatus*, Ardelionum *quorundam* parati ungues; *qui* lancinant *plerúnque quod* non intelligunt, & ſapere *didicerunt, non ex* aliqua prævia Inſtitutione *aut* praxi, *ſed ex* Titulo, *vel ab eo, quòd conſcenderunt* ſubſellio. *At Tales ferè* fiacceſcunt, *priuſquàm pungas* Vtres; & *in* ipſo aſpectu *extinguuntur ut* Meteora Doctis, piis & ſinceris, *ſi non ingrata erit hæc* opella, *ſcopum aſſequar, quem propoſui. Nec tanquam* Decretalia *hæc propono, quæ* aſſenſum *imperarent, ſed ut in* dubiis, *quid ſequendum; priuſquam conſtet de* certioribus. *Alia* non ſolicitè *rimantibus,* Calendarii *hæc poſſint eſſe loco; quo intelligant,* Qui, & Quando, Amici, *aut* Fratres, *aut* Cognati, Doctoratus *aſcenderunt* Cathedram; *quibus* Ceremoniis *hoc fuit præſtitum;* & quantus *antehâc extiterit* profectus *Academiæ. Forſitan etiam* curioſus *aliquis, aut* pendulus, *deſtitutus* libris, & Doctorum *conſortio, inveniet hîc* contracta, *quæ* ſcrupulos nonnullos *per* compendium *eximant.* Minuta in Gazophylacium *injecta, non tàm reſpicit* Dominus, *quàm* Injicientis *animum. Tuum erit* (Lector Candide) *amplecti*, quæ *exhibet animus* profectus Tui *ſtudioſus; Alii poſſunt aliter* ſapere; *Mihi erit* Clauſula.

Sic cogitavit,

IOHANNES PRIDEAUX.

ORATIO I.

INAVGVRALIS IN PROMOTIONE DOCTORVM Io. BARCHAM. SAM. CLEARKE. GUIL. KINGLEY. Io. FLAVELL. HEN. SEWARD. IASP. SWIFT. Io. DAVIS. Io. HAMDEN. THO. HOLLAVVAY.

OXONII in Comitiis habita Anno 1616.

De duobus Teſtibus.

APOCALYPS. 11. verſ. 3, 4, 5.

3. *Et dabo duobus teſtibus meis, & Prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.*
4. *Hi ſunt duæ olivæ & duo candelabra in conſpectu Dei terræ ſtantes.*
5. *Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: Et ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi.*

QUos nudiuſtertiùs *Soli* expoſui, ut experirer an genuini eſſent *Aquilarum pulli*, eoſdem hodiè expedio ad *volandum* (*Patres* & *Fratres*) ut ſublimiùs poſthac incipiant *nidificare*, & ubicunque inveniatur corpus, catervatim cæteros ad illud congregent. Et quoniam ita invaluit conſuetudo, exigente etiam *juſtitiâ*, ut qui diei *pondus & æſtum* ſubiêre, ὀψίας γενομένης in *veſperis* (ut ita loquar) debitum *denarium* acciperent: Quid reſtat niſi ut *Procurator* tandem prodeat, *operarios* vocet, *brabia* diſtribuat, ut ſic illuſtriori aliquo *ornatu* & *teſtimonio*, à matre *Academia*, ad matrem *Eccleſiam* remittantur? Hoc autem non video quo nomine fiet convenientiùs, quam illo quo uſus eſt *Servator Chriſtus*; Eritis mihi *teſtes* in *Ieruſalem*, & in *Iudæa*, & *Samaria*, & Matth. 24. Matth. 20. Act. 1.

& uſque ad ultimum terræ. Ac *teſtis* quidem nomen, quàm aptè *Theologis Doctoribus* convenit, oſtendit *Dominus, Eſaiæ* 55. ubi ſummum ſui fœderis *teſtem* non נגיד tantùm, vel *Principem*, ſed מצוה hoc eſt, *præceptorem*, ſive *Doctorem* nuncupat. Cum autem *legatorum* à Chriſti *latere diploma* ſit tantùm ad *teſtandum*, *Act.* 2. Tituli, *Proteſtantes*, 2 *Chron.* 24. Negotium, de *Teſtamentis*, legatio, *teſtimonium*, hoſtes, *Teſtamentarii*, qui ſubducunt, aut liturâ inducunt veritatis *tabulas*, ut ipſi diripiant, & diſponant pro arbitratu omnia; quis reprehendat, ſi novus indices adhibeatur *teſtium idoneorum* delectus, qui autorati matris *teſtimonio*, ablegentur ad *teſtificandum*, cum diſcurrant undique *pſeudomartyres*, qui præſtigiis ſuis & calumniis, vel *ipſos* (ſi poſſibile eſſet) *electos* in fraudem inducerent. Quod ſi è *portu ſolventibus*, ii qui jam *ex alto* in portum invehuntur, præcipere ſummo ſtudio ſolent, & *tempeſtatum* rationem, & *locorum*, & *prædonum*; quod natura adfert ut iis faveamus, qui *eadem pericula* quibus nos *perfuncti* ſumus, aut colluctamur, ingrediuntur: Quo animo me eſſe oportet in hoſce *meos Filios*, quos dimiſſurus ſum hodiè, (quaſi tot *oves in medium luporum*) ut *prudentes* ſint ſicut *ſerpentes*, & *ſimplices* ſicut *columbæ*, fortes ut *leones*, patientes ut *boves*, circumſpecti ut *homines*, perſpicaces ut *Aquila*, oculati ut *quatuor animalia* quæ circumſtant thronum. Ut cum deſcendat *pluvia*, veniant *flumina*, flent *venti*, non negent cum *Petro*, aut fugiant cum cæteris *Diſcipulis*, ſed liberè proferant *teſtimonium*, juxta hoc *Iohannis Theologi vaticinium*, Apocal. 11. ver. 3.

Math. 24.

Cicero.

Math. 10.

Math. 7.

Mar. 14.

2 *Et dabo duobus teſtibus meis, & Prophetabunt, &c.* Iſta autem ut aptiùs accommodentur præſenti negotio, hæc ſummatim ſunt a me perſtringenda. *Primum*, *Qui* fuerunt iſti *teſtes*, & quare *duo*. *Secundum*, *Quænam* ipſis tribuuntur *elogia*, *ſucceſſus*, & *progreſſus*. *Tertium*, *Qualem* tandem ipſi ſortiti ſunt *exitum*. *Quartum*; quomodo in *ſucceſſoribus* hæc perpetuò impletur *prophetia*. Ac de *Teſtibus* quinam *fuerunt*, infinita penè ſunt divortia, quæ non incommodè forſan poſſunt ad has *quatuor claſſes* revocari. Quidam enim hæc interpretantur de *duobus viris*, & de *tempore* etiam *Antichriſti*. Verùm *qui* fuerunt iſti *duo viri*, *triplex* ad minimum eſt inter ipſos *diſſidium*. *Victorinus Ieremiam* nominat & *Eliſæum*, ſed pauciſſimi ipſi ſuffragantur. *Hilarius*, *Ambroſius*, *Abbas Ioachim*, *Catharinus*, *Arboreus*, *Gagnæus* cum *Janſenio*, & * *Maldonato*, in 17 Math. *Moſen* hîc *intellectum* volunt & *Eliam*. Illorſum etiam propendet *Lodovicus Alcaſar*, Et favet textus. Nam poteſtas *cœlum claudendi*, & *ignem* inde *educendi*, *convertendi* aquam in *ſanguinem*, & percutiendi *terram omni plagâ*, quibus æquè poſſunt adaptari, quàm *Eliæ* & *Moſi*? Receptior tamen eſt tertia de *Enoch* & *Eliâ* ſententia, quam ab *Aretha*, *Haimone*, *Hugone*, & cæteris nonnullis antiquioribus, *prolatam* potiùs, quàm *confirmatam*, arripiunt avidè *Ieſuitæ*, *Ribera*, *Vegas*, *Zuarez*, *Pererius*, *Bellarminus*, *Barradius*, *Malvenda*, eum ſcilicet in finem, ut hinc *Antichriſtum* adhuc non apparuiſſe demonſtrent, quia non emerſêre adhuc *Enoch* & *Elias* è *terreſtri Paradiſo*, nec *Papam oppugnârunt*, nec *ceciderunt*, nec inhumati *jacuerunt* in *plateis*, quæ eventura prædicit *textus*, ſub *Antichriſti ſeſquitriennali tyrannide*; ideoq; *Pontificem* liberant à tam infami ſuſpicione. Addit *Georgius Trapezuntius* in tractatu quodam ad *Papam Eugenium*, *Iohannem* hunc noſtrum *Theologum*, *Enocho* & *Eliæ* comitê, eúmq; cæteris *duobus*, in iſto contra *Antichriſtum* prælio, magis neceſſarium. A quo *Salmeron* & *Catharinus*, non multùm diſſentiunt. Unde facilè quis obiter animadvertat, quâ bellè inter hos *turris Babyloniæ* architectos, de

Mar. 14.

* *Iohannes in Apocalyp. c. 11. 3. 6. tam apertè ſcribit* Moſen *& Eliam eſſe venturos, ut nemo non ſolùm ſine temeritate, ſed nec ſine impudentia negare poſſet. ad verſum 11. Iſti omnes* Maldonato *impudentes.*

Tom. 11. tract. 32.

de principiis *ſuarum demonſtrationum* convenit. Sed pergendum. Secunda claſſis eſt eorum, qui *binarium* hîc etiam requirunt teſtium *numerum*, ſed ad *Antichriſti* tempora hæc reſtringi non exiſtimant. Alii igitur *Chriſtum & Baptiſtam*, ut *Ebertinus* de *Caſſalis*, & *Eitſvogerus*: Alii *Ieſum & Ananiam*, interfectos ab *Idumæis*, ut *Cæpnſachius*: Alii *Silverium Papam*, & *Mennam Patriarcham Euticheti* obſtantes furoribus, ut *Amrolus*, *Antoninus*, *Lyranus*, *Edrus*, adumbratos hîc eſſe ſomniant. Quid quòd non deſunt qui ſubſtituunt *Franciſcum & Dominicum*? *Gretſerus* hæc detorquet ad *Roffenſem & Thomam Morum* noſtrates. Quid dicam? *Recitâſſe* hujuſmodi eſt *refutâſſe*. Tertia eorum ſuccedit claſſis, qui nec *Antichriſtum* hoc in loco, nec duos viros agnoſcunt, ſed vel *omnes* veritatis *aſſertores*, ut *Pennonius*, vel *omnium ſeculorum fideles*, ſignificare contendunt, ita *Arias Montanus*, & *Zegerus*. Quæ ſpeculatur in hunc ſenſum *Alcaſar Ieſuita* de *ſanctitate & ſapientiâ*, indigna ſunt quæ recitentur. Tranſeò ad *quartam claſſem*, illorum ſcilicet, qui *Antichriſti* hinc colligunt *perſequutionem*, ſed per *duos teſtes*, vel *Monachos* intelligunt, & *Sacerdotes*, inter *duos* prædicantium *ordines*, ut *Hortulanus* & alii, vel alios quoſcunque, *lenitatem* exprimentes *Moſis* & *Eliæ fervorem*, ſic ut *teſtimonia* potiùs quàm *teſtes*, hæc *dualitas* reſpiciat. Ita *Primaſius*, *Ticonius*, *Beda*, quos noſtri non tam rejiciunt, quàm explicant. Siquidem, omiſſis his privatorum de *Iohanne Hus*, & *Hieronymo Pragenſi* conjecturis, *duæ* ſunt orthodoxorum hac de re *celebriores ſententiæ*, (ſicut optimè habetur in *Præfatione* Sereniſſimi Regis *Iacobi monitoriâ*.) Prima, quæ ſtatuit hos *duos teſtes* eſſe *vetus & novum Teſtamentum*, juxta illud, *Scrutamini Scripturas*, quæ *teſtimonium perhibent de me*. *Has* autem quàm impiè protrivit & fœdavit *Beſtia*, quid attinet ut multis inculcem? In omnibus verſatur manibus, *Conciliabuli* iſtius *Tridentini* decretum planè *Ethnicum*, quo *Apocrypha* Canoni, *tranſlationem* eamque corruptiſſimam, *fontibus*, ἀκρίβειαν ἐξεργάσις, *traditiones* Scripturis, aut æquant penitùs, vel præferunt. Et ne iſta non ſatisfacerent omnia, ad palliandam *Romanæ beſtiæ* contagioſam *Elaphantiaſin*, non audiendus eſt juxta ipſorum ſancita *Spiritus Sanctus*, vel apertiſſimè proferens ſententiam *ex obſignatis tabulis*, niſi accedat meretricis purpuratæ *effrons interpretatio*. Altera reſtat opinio, quæ literæ contextus magis quadrat, teſtes hoſce *duos*, non tam *ipſum* Dei *verbum*, quàm verbi *præcones* denotare. Iſti enim aptiùs dicuntur *beſtia* ſeſe opponere, *occidi*, *habere cadavera*, non *ſepeliri*, *reviviſcere* in *ſucceſſoribus*, per ſe in *cœlum aſcendere*. Sed commodè iſtæ duæ (ut mihi videtur) in unum coeunt ſententiæ, cùm *horum*, et *Teſtamentorum*, unicum ſit tantùm teſtimonium. Bene autem *Eccleſiæ prophetans* in duobus *teſtibus* figuratur, (inquit *Anſbertus*) quia nimirùm in prædicatione cœleſti *duobus teſtamentis* roboratur. Nec aliter *Aquinas*, Ideò ſub *binario* ponuntur, quia de *duobus teſtamentis* accipiunt *quod prædicant*. Scio quid contra nugatur *Bellarminus*, lib. 2. de *Rom. Pontif.* cap. 6. et in *Apologia* adverſus Doctiſſimi Regis *monitorium præfationem*. cap. 11. Sed non opus eſt iſtis immorari, quibus ita à *Tribus* illuſtratibus *celeberrimis* detrahitur jam tandem larva, ut lippis hodiè et tonſoribus jure debeant ludibrium.

Joh. 5. 39.

Apoc. cap. 6.

E. Eliens. D. Collins. M. Burhill.

3. Sed quare per *binarium* potiùs, quàm alium *numerum*, tam *longa* concionatorum ſignificaretur *ſeries*? Conjecturæ interpretum ſunt hîc ſatis appoſitæ et expeditæ. Alii adducunt *Eccleſiam*, *ex duobus populis* conflatam et unitam. Alii *duos* teſtium *ordines*, alterum ſermone tantùm, alterum ſermone pariter et ſanguine teſtificantem, ut rectè obſervat in hunc locum

cum *Legerus* Pontificius. Omnes penè in hoc conveniunt, ex *duobus* colligi *paucitatem*, qui *numerus* tamen erit, licèt *minimus*, & reſpectu hoſtium *nullus*. Quod & adumbrat noſter *Apocalypſes* in frontiſpicio hujus capitis, ubi *virga* ſufficit ad menſurandum *templum*, dum *atrii* quod extra eſt, non *capetion* ad æquent *ſtadia*, vel Mathematicorum *Semidiametri*. Væ ſoli inquit *Eccleſiaſtes*, quoniam, *Si ceciderit, non habet ſublevantem*. Utcunque interim *grex Chriſti* ſit *paſillus*, pauci ingrediantur *angustam portam*, ſolus videatur *Elias* contra tot *Baalitas*, & mulier abſcondatur in *ſolitudine* à *Draconis* furore: non ita tamen Deus ſe relinquit *ἀμέτωπον*, quin ex ore *duorum* aut *trium teſtium*, ſtabit *omne* ipſius *verbum*. Poteſt quidem *Agnus* pluſquam duodecem *Angelorum legiones*, ad ſuas partes accire, poteſt *ignem* è cœlo, *ranas*, *muſcas*, *pediculos* è terra in *Pharaonem Romanum* armare. Quid quod erigit poſtea *vexillum* è *Sionis vertice*, 144000 ſtipatum millibus. Sed qui tot ſecum ducit in *triumpho*, pauciores habet plerunque in *prælio*. *Numeroſior eſt hic populus qui eſt tecum, quam ut tradam Midianitas in manus ipſorum* (ait Jehovah ad *Gideonem*) *ne gloriam aſſumat ſibi Iſrael ſupra me dicendo, manus mea ſalutem attulit mihi*. Deus tamen hic ſervat, & ſuſtentat, ne *ſolitudo* careret ſocietatis *ſolatio*, aut *ſtrepitu* multitudo turbaret omnia. Ita *Moſes* & *Aaron* adeunt *Pharaonem*, *Joſhua* & *Caleb* reſtantur de *Terra Promiſſionis*. *Zorobabel* & *Jehoſua* poſt captivitatem, inſtaurant *templum*, & *cultum*. Nec deſunt in *novo Teſtamento* hujuſmodi *paria*. Ubi occurrunt in prima acie *Chriſtus* & *Johannes*, egrediuntur diſcipuli ad prædicandum *bini* & *bini*, mittuntur ad parandam cœnam *Petrus* & *Johannes*. Sunt qui eandem obſervant dualitatem in Equitum *bigis* apud *Eſaiam*, in duabus *olivis* apud *Zachariam*, in duabus columnis *Boaz* & *Jachim* in templi porticu, in duobus *candelabris* in *Cherubim* in *Urim* & *Thummim*, in *Lea* & *Rachel*, in *Maria* & *Martha*, in *duobus Angelis*, qui *reſurrectionem* & *aſcenſionem* Chriſti ſunt teſtati. Quæ omnia quidem huc recidunt, ut conſtet Chriſtum ſemper habere *numerum* qui de ipſo *teſtimonium* perhibeat, illum *numerum* non admodum eſſe *magnum*, ſi reſeratur præſertim ad *mundi myriadas*, illam tamen *paucitatem* ſufficere ad opus illius peragendum, quia quod *exterùs* videtur deeſſe, ipſe de ſuo ſuppeditat. Ergò ex tantâ *Obſignatorum* turbâ, quam *numerare nemo potuit*, cap. 7. deſcendunt hic tantum *pauci* in *arenam* contra *beſtiam*, non trepidant tamen hi ad *ſepem iſtius capitis*, & *decem* diadematis coruſcantia *cornua*. Sed inſtant, urgent, prophetant, per *tempus*, *tempora*, & *dimidium temporis*, per *menſes* 42. per *dies mille ducentos & ſexaginta* quibus in difficilimis iſtis temporibus conculcant *Gentes* urbem ſanctam, & *mulier* aluitur in *eremo*. Quæ omnia redeunt in eundem calculum, & totidem annos *Ægyptiacos* juxta ſaniores interpretes denotant. Anni autem hic *per dies ſignificantur*, (ut obſervat *quidam*) quia *quotidianum* debet eſſe hoc *prophetandi munus*, non *trimeſtre* tantùm, vel ſemel *ſingulis* (ut fit) *menſibus*. Teſtes hi noſtri magis ſunt aſſidui & accubui, non *Apocrisiarii*, ut de *Paulo Samoſateno* notat *Euſebius*, non *ἀποκρισιάριοι*, ut loquitur *Nazianzenus*, quos *mollibus* indutos *veſtibus*, in *Aula* frequentiùs, quàm inter *cœlum oviom* invenies; ſed *ſordidati*, *pullati*, & pro ratione horum temporum *ſaccis amicti*; Diceres tot *Hieremias* te conſpicere, *Threnos* ſingultientes, ad modulamen Pſalmi, 137. *Super flumina Babylonis ſedimus & flevimus, dum recordaremur tui ô Sion.*

Cap. 4. Luc. 12. Matth. 7. 1 Reg. 19. Apoc. 12. Deut. 19.

Mat. 26.

Apoc. 14.

Jud. 7.

ἀντὶ Νο. Luc. 10.

Iſaiæ 21. Zach. 4. 1 Reg. 7.

Cap. 12.

Lib. 7. cap. 24. Car. 11.

4. Accepiſtis quinam fuerunt iſti *teſtes*, & quare duo *ver.* 3. Sequitur quod

quod *ſecundò* propoſui in tribus verſibus ſequentibus, *quanam ipſis tribuantur elogia, progreſſus & ſucceſſus.* Nam vecunque mundus hos conculcet, & deridendos propinet; quàm *pretioſa* tamen ſint in *conſpectu Domini*, non tantùm *mors*, ſed & *vita ſanctorum*; oſtendunt hæc ſacra *emblemata* quibus graphicè habemus depicta; 1°. *quales ſunt*, ver. 4. deinde, *quid faciunt*, v. 5. poſteà, *quid paſſuri*, v. 6. Sunt, *duæ olea*, & *duo candelabra*, oleæ propter *pinguedinem*, & *pacis ſtudium*, *candelabra*, non ſub *modio poſita*, ſed in *loco conſpectiori*, idque non ab *hominibus*, ſed à *Deo*; idq; tam *commodè*, ut lenitèr ſtillans ex *olearum baccis* ſalutaris liquor, ſuavitèr accipiatur à *candelabrorum lecythis*, quo *veritatis* & *charitatis* lampades perpetuò foveantur. O ſi hîc liceret commorari, & ut optabat *Petrus* in transfiguratione, *tabernacula erigere!* Quid de *oleis* iſtis, quid de *candelabris*, elicere non potuit *ſeria contemplatio?* Vidit hoc *David*; Ego ſicut *oliva fructifera in domo Dei.* Agnoſcit *Hieremias* hoc ſymbolum Eccleſiæ, *olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocavit Dominus nomen ejus.* Situm deſcribit *Eſaias*, vinea facta eſt *dilecto meo in cornu filio olei.* Typum exhibet *Zacharias*, in *candelabro uno ſeptem infuſoriis*, & *duabus* deſuper *olivis.* Unde non incongruè, inquit *Albertus*, candelabrum ad *Doctorem*, vel *prælatum* refertur, & *ſeptem infuſoria* ad *ſeptiformem* ſacræ Scripturæ *uſus*, ſive *ſtudia*: quorum primum, eſt *literalis* ad veritatem, ſecundum *allegoricum*, ad fidem; 3um. *tropologicum*, ad mores; 4um. *anagogicum*, ad *ſpem*; 5um. *diſputativum* ad externos convincendos; 6um. *exhortativum* ad bonos ut proficiant; 7um. *increpativum*, ad obſtinatos ne noceant. Tales igitur ſunt hi *teſtes noſtri*, ut *candelabra*, firmitèr figuntur; ut *lucernæ*, indies ſe inſumunt, ut aliis ſplendorem fœnerent; ut *olea*, non deſerunt pinguedinem, ut *primatum* inter *arbores* conſequantur; nec fovent in ſinu *Rhamni* flammas, quas præpoſterè immittant in *cedros Libani*; Sed ſi quis velit eos (ut ſequitur) injuriâ afficere, tum *ignis exibit* non è *ſtuppâ ignitâ*, in *Pulverem ſulphureum*; ſed de *ore ipſorum*, & *devorabit inimicos* eorum.

Mat. 17. Pſal. 52. Cap. 11. 16. Cap. 5. 1. Cap. 4. 3. Septem Scripturæ uſus.

Turno tempus erit magno cum optaverit emptum,
——Intactum Pallantis. Hoc igne periere *Dioclesianus, Maximinianus, Maxentius, Maximinus* (numero tantùm paucos ex *immenſo catalogo*) ut ex *maximis* diſcant *minores*, inter *prunas* ab *aluei* ereptas, & *ignes fatuos* diſtinguere. Philoſophantur *Phyſici* de *fulminis* cujuſdam ſpecie, quæ non *violatis corporibus*, *oſſa* frequentèr comminuit, & illæſis *loculis*, aut *vaginis*, nummos aut gladios liquefacit. Haud alia eſt *ſcrobrans ſubtilitas* hujus ſacri ignis, unde ſi juſtè imorqueatur ab *aſcenſo* alicujus *Eliæ zelo*, *Præfectus* cum ſuis *cohortibus* ſubitò in *cineres* redigantur. Tanti *preces* ſunt & *laudes*, quæ ex ore egrediuntur *noſtrorum teſtium.* Hæc gloria eſt ſanctorum Dei ad *faciendum vindictam in nationibus, & increpationes* in *populis*, ad *alligandos Reges* in *compedibus*, & *nobiles eorum in manicis ferreis.* Incedant licet *ciliciis* hirſuti, ſpectacula ſint *angelis, mundo*, & *hominibus*; habeantur ſicut *catharmata*, quæ *mundus* conſpuit, deteſtantur *impij*, *irriſores* ſubſannant, *tyranni* perſequuntur, *& odii lyricis* (ut loquitur *Pſalmiſta*) *ebrij* inſectantur: Caveant tamen *Truſani*, quomodo has *oleas*, ut eſt in proverbio, conſtringant, *anguis tangent*, vel *candelabra* conentur loco ſuo movere; ne ſortè prodeat ab ipſis *ignis*, quem ſuperfuſus *oceanus* extinguere non valeat. Nec tamen his cancellis includitur poteſtas *noſtrorum teſtium*, ſed extenditur ad ipſum *rubum*, ut ſequitur deinceps, v. 6. atq; hoc etiam *clauſis ne planis*, exponitur in æquis,

Pſal. 149. Pſal. 69

& ſicut *Moſes* illas, in *ſanguinem* convertit; pervagatur omnes terræ oras & percutit illas *omni plagâ*, idq; quotieſcunq; hi Prophetæ voluerunt. Μορμολύκεια hæc forſan videantur quibuſdam *terræ filijs*, & *exaggerata* talibus *crepitacula*, qui ſordibus tantùm affixi, à *corporalibus* ad *ſpiritualia* non valent aſſurgere: At qui periculum ex aliis facient, quid ſibi uſu ſiet, trepidabit ad hos *Boanerges*, ut *Quinquagenarius* iſte *tertius* ad Prophetæ Fulmen. Siquidem ut conceſſum antea fuit vincentium privilegium gentes *virgâ ferreâ regere*, & tanquam *vaſa figlilia* conterere: Ita *Teſtibus* hiſce noſtris ut *evellant*, *deſtruant*, *diſperdant*, *diſſipent*, *ædificent*, *plantent*, *Jer.* 1. Quod *ligant* vel *ſolvunt* in terris, *ligatum* & *ſolutum* erit in cœlis; *luctantur* & *vincunt* cum *Iacobo*, ſtant in confractione ut *Moſes*, evaginatum avertunt cum *Davide gladium*. Tanta latet in *vaſis teſtaceis*, dignitas; in *verbis*, vis; in *oppreſſu*, vigor; ſub *ſæcis*, ſplendor; qualem nihilominùs ſortiuntur *exitum*, ſupereſt ut ex *quinq; verſibus* ſequentibus carptim veluti, & εἰς τὸ πᾶν, *deſpiciamus*.

1 *Reg.* 1.

5 Expectaret quiſpiam ut ſacroſancta apud omnes eſſet *horum teſtium* authoritas, qui tantâ valent *in ſe* excellentiâ, tantâ pollent apud *Regem cœleſtem* gratiâ. Nam ſi *religio* aut *pietas* reverentiam non incuteret, *metus* ſaltem deterreret impios, ne irritarent præſertim *tales*, qui non *fænum*, (ut dicitur) *in cornu*, ſed *ignem in ore* inextinguibilem circumferunt. Qui *tetigerit vas*, *tangit pupillam oculi*: clamat Dominus per Prophetam, & qui *ſcandalizaverit unum de paſtillis iſtis*, præſtiterit ei ut ſuſpendatur *mola aſinaria in collo ejus*, ac demergatur *in profundo maris*. Pergit tamen *Inſipiens* & dicit in corde ſuo, vel *non eſt Deus*, vel ſaltem oblitus avertit *faciem*. Nam *poſtquam finierint ſuum teſtimonium*, *beſtia illa aſcendens ex abyſſo geret adverſus eos bellum*, *& vincet eos*, *& occidet eos*. Beſtia autem iſta eſt *rex locuſtarum*, *Apollyon*, *Abaddon*, ὁ Ἀπόλλυων, *Pontifex* ſcilicet *Romanus*, cum execrandâ ſuâ colluvie; cui applicatur hîc ſparſim *venenum ſerpentis*, cap. 12. *Caini fratricidium*, cap. 13. *Ægypti* & *Iezabelis* calamitas à *Moſe* & *Elia*, *Ioſuæ Grando*, *Siſeræ* interitus in *Magiddonte*. Huic nihilominùs non ſatis eſt, hos *teſtes noſtros* vexare, cruciare, occidere, niſi *cadavera* etiam *ipſorum* ad ludibrium in plateas projiciantur, ver. 8.

Zach. 2.

Matth. 18.

—αὐτοὶ δ' ἐπὶ πτῶμα κείσεται
ὑμνοῦσι † πᾶσι

Unde inſultant illis *Papicolæ*, ver. 9. & *muneribus* ſibi *mutuis* gratulantur, ver. 10. ac ſi devictis, & è medio ſublatis his *Dei teſtibus*, non eſſet tum aliquid ulteriùs, quod negotium illis faceſſeret. Atquî uſq; *quo*, *Domine*, *qui ſanctus es & verax*, *non vindicas ſanguinem tuorum ab ijs qui habitant in terra?* Poteſne tu teſtes tuos ita proprio cruore fœdatos aſpicere, inhumatos intueri, & non ſanguinem ipſorum requirere? Vox ſanguinum *Abelis* à terra audita eſt, & de teſticidis *Cainо* truculentioribus nulla erit quæſtio? O veniat in conſpectum tuum gemitus & ultio ſervorum tuorum, & perſequutorum improperium, ne fortè pergant laniare, & non ſit qui eripiat. Verùm ſtate & videte *magnalia Domini*, quæ facturus eſt hodiè. Non præterit hujuſmodi *cœleſtis Pater*, quæ pro tempore permittit; in numerato ſunt illi, non *lachryma* tantùm ſuorum quas in *utre ſuo recolligit*, ſed & *capilli*, ne *decidant* in terram ſine ipſius *providentiâ*. Sequitur igitur poſt *dies tres & dimidium*, hoc eſt, conſtitutum aliquod certum ab illo ſpatium, *ſpiritus vitæ* à Deo prodiens *ingredietur in illos*, *ſtabuntq; erecti* in *pedes ſuos*, ad terrorem & confuſionem opprimentium; audientq; cœlitùs fœliciſſimam

mam invitationem, *aſcendite huc*, ſtatimque *aſcendent* in *conſpectu inimicorum*. O *labores* auſpicatò exantlatos! ô *ſpes* quæ non confundit! Quis hîc non agnoſcit cum *Apoſtolo*, non *condignas* eſſe *paſſiones* hujus *temporis* ad *futuram gloriam, quæ in poſterum revelabitur*? Sex autem hîc narrantur *perſequutionis* eventus, in quibus omnibus pater, quomodo afflictiones hujuſmodi, *teſtibus* hiſce *fidelibus* in lucrum ceſſêre. *Primus* eſt *revocatio* ipſorum ad vitam, ver. 11. *Secundus*, ex præcedente ortus *timor adverſariorum*. *Tertius*, *receptio* illorum in *cælum*, ver. 12. *Quartus*, ex præcedente emanans *dolor ſpectantium inimicorum*. *Quintus*, *vindicta divina* in omnes ipſorum hoſtes, quam comitatur, 6to *terror intuentium*. & tale quiddam de ſeipſis *metuentium*. Percurro hæc ſummatim tantùm (ut videtis *Patres* & *Fratres*) Dies enim me deficeret, ſi ſingula minutatim perſequerer; & *olea* mihi ex textu verſantur ante oculos, *extra quas* non convenit *evagari*. Ergò cum conſtet ex dictis, *Teſtes hos*, (de quibus loquimur) numero eſſe *paucos*, ſucceſſione *certos*, habitu *ſordidatos*, zelo *flagrantes*, poteſtate *pollentes*, fide *lucentes*, charitate *ferventes*, expoſitos tamen dentibus *infernalis* cujuſdam *beſtiæ*, quæ in *vivorum* ſævit *animas*, & *mortuorum cadavera*; cum teneamus hinc mundi affectum, qui applaudit *beſtiæ*, donec Deus eripiat ſuos, & ad ſe *recipiat*; Reſtat illud tantùm quod *ultimò* propoſui, quomodò ſcilicet *hæc prophetia* ſortita ſit ſemper eventum, in difficillimis Eccleſiæ anguſtiis, uſque ad *præſens refrigerium*; & quibus tandem mediis à nobis eſt poſteritati continuanda.

Rom. 8.

6 Atque ut decem non commemorem *Perſequutionum lanienas*, quibus *rigata* crevit primitiva *Eccleſia*; poſt annos demùm 600^tos^, cum altiùs ex abyſſo *beſtia* extuliſſet *cornua*, fixæ ſemper ſteterunt noſtræ *olea*, & conſtant èr mundo communicârunt *lucem* ſuam, & *pinguedinem*. Teruntur omnium manibus horum *teſtium Catalogi*, *Centuriæ*, *Acta*, & *Monumenta*, ex quibus ita conſtat de ipſorum laboribus, ærumnis, pugnis, ſuppliciis, præmiis; ut ſupervacuum hîc eſſet mihi, vel *Iliadas* iterare, vel *guttulas* Oceano inſpergere. Quin *ſeculum* iſtud (ni fallor) *decimum*, de quo *Bellarminus* in *Chronologia*; vide *ſeculum infœlix in quo nulli ſcriptores illuſtres, nulla Concilia, Pontifices parum ſolliciti de republica, non ita caruit veritatis teſtibus, quin in illo* etiam inveniantur, quos *Bellarminus* elingues aut *incognitos* optaret. Nam quodnam *teſtimonium* poteſt eſſe illuſtrius, quàm *Synodi* iſtius *Romanæ* apud *Luitprandum*, quâ *Otho primus* Imperator, *Iohannem* 12. depoſuit, & *Leonem Octavum* ſubſtituit? Quàm ſeriò proteſtati ſunt *eodem ſeculo* hujus regni *ſacerdotes*, contra *cleri cœlibatum*, quem urgebant *Monachi*, patet ex *Winionienſi Synodo*; quâ ſuperiores videbantur *Monachi*, *tumultibus* tantùm, et *Diaboli* ſuffragio à *Dunſtano Mago* impetrato, non rationibus, aut verbi divini teſtimonio. Unde ubi *Elienſis* Eccleſiæ *præpoſitus*, cum ſuis *Sacerdotibus*, voluerunt poſteà vel invitis *Papâ*, et *Monachis*, uxores legitimas retinere, finxerunt graphici *nugatores*, illos cum *uxoribus*, et *liberis* in *anguillas* fuiſſe mutatos, atque inde diœceſin illam hodie *Elienſem* appellari, Author eſt *Balæus ex Malmeſburienſi* et *Capgravo*. Poſſum hîc *Theophylactum*, *Anſbertum*, *Radulphum*, *Giſelbertum*, ut *teſtes* ſatis *idoneos*, in quamplurimis *articulis* contra fermentũ Pontificiũ adducere. Quid quod *Marcum Eremitam* hujus ſeculi teſtẽ, *Bellarminus* ipſe cautiſſimè audiendũ eſſe admonet, utpote parùm ſuffragantẽ *purpuræ* rationibus. Quòd autẽ gratuletur iſti ſeculo ut ab *hæreſibus immuni*, facilis eſt reſponſio ex *Magdeburgenſibus*; *latuiſſe* tunc temporis *hæreſes* ſub

Illyricus. Magdeburgenſ. Foxus, &c.

Cent. 2.

In Chron.

ſub *mitris* & *cucullis*; quas tamen & *teſtes* noſtri obſervârunt, & corripuerunt, licèt non tanto *numero* & *fervore* quo poſteà. *Antichriſtus* enim tum penè ad ἄκμην perveniſſet, & inſtabat terminus quo *Satan ſolveretur*. Quid autem *ſoluto* tandem *Satanâ* poſt mille annos? Sive ab *incarnatione* per *Sylveſtrum* ſecundum, ſive à Dominica *paſſione*, per *Benedictum nonum*, ſive ab *Hieroſolymitano excidio* per *Gregorium ſeptimum*; cùm omnia ſuſq; deq; ſicut ab *Harpiis* raptabantur, num pedem retulerunt *noſtri teſtes*, aut cœperunt tandem *mentiri*, aut *mutire*? *Nihil profectò* minùs; quin potiùs cò incitatiùs *grandiebant* greſſus, ut mirum ſit in *hiſtoriis* obſervare, quomodo poſt tot *dejectas* per *Draconis* caudam è cœlo *ſtellas*, & *faſcinatos* religionis *Antiſtites* ſeculari *typho*, manſerit tamen non *interrupta* hæc teſtium *ſeries*, ſic ut *ardente rubo* non combureretur. Ita *Waldenſes* revixerunt in *Wicleviſtis*, *Wicleviſtæ* in *Huſſitis*; *Anſeres iſti aſſati* in multis *Oloribus*; quorum vel nomina tantùm recenſere, eſſet potiùs *Annales* contexere, quàm intra præſcriptas *compendii anguſtias* me continere. Quare *Centurias* etiam noſtrorum *Teſtium*, quas operosè diſpoſuit *Baleus*, & copioſiùs continuavit noſter *Foxus*, de compoſito tranſilio. Tantùm obſervatum cupio in tranſitu, cum nidificâſſet jam *Roma* in ſummitate *petræ*, & exaltâſſet ſe ſupra *omne quod appellatur Deus*; cum inebriâſſet *Principes* terræ ſuis *philtris*, & tacitò cœpiſſet occinere, *Sedeo Regina*; *Omnù mihi data eſt poteſtas in cœlo & in terra. Surge Petre, occide & manduca*, & ſimilia, cum *teſtibus paulo liberioribus*, vel *dignitatibus* ora obturâſſet, vel *laqueis* ſpiritum intercluſiſſet, vel diſperſis hinc inde conductitiis *mangonibus*, qui ſimpliciores in tenebris ſopirent, ſcintillantes veritatis ſtricturas per quaſcunque rimulas excitato fumo obſcurâſſet; cùm non eſſet *ſuſpicio* cur mutiret quiſpiam, vel audirent multi, ſi ad *ravim* uſque Teſtes vociferarentur: ecce miraculo excitatur tanta *nubes teſtium*, ut qui modò ſedebat ut *ſummus judex*, jam turpiter cogitur vadimonium deſerere; *tabulas publicas* corrumpere, tumultuari, adulari, tergiverſari, æquivocare, mortuos conſulere, *ſicarios* & *venenarios* in adverſarios clam ſubornare, *ſubterraneos* denique moliri *cuniculos* ex nitrato *pulvere*, ne cauſa penitùs caderet, & carnes ejus abſumerentur, ab illis *terræ Principibus*, quorum hactenùs conſutis dolis ora ſubleviſſet. Atque hîc geſtit animus recolere, quomodo ad tanti momenti cauſam, inſtruxit ipſe Deus *teſtes idoneos*, quos impoſſibile eſſet vel corrumpere, vel redarguere. Intumuiſſent anteà *Scholaſtici*, neſcio quot diverſis *titulis*; Doctor *reſolutus*, Doctor *Angelicus*, Doctor *ſubtilis*, Doctor *irrefragabilis*, paſsim in congreſſibus inſonuere. At quanto juſtiùs *Lutherus* Doctoris *reſoluti*; *Philippus*, Doctoris *perſpicui*, *Bucerus*, Doctoris *profundi* morentur nomen, intelligunt demum ii, qui mallent cum *filio prodigo ad Patrem redire*, quam cum *porcis*, alienigenarum veſci *ſiliquis*. *Calvinus* ſi floruiſſet cum *Aquinate* & *Bonaventura*, nec hîc forſan *Angelicus*, vel ille *Doctor* appellaretur *Seraphicus*. Qui *Zuinglii* ortum & progreſſum attentè perpendit, *Doctorem* intueatur *illuminatum*, ſicut in *Oecolampadio*, *Brentio*, *Chemnitio irrefragabiles*, *invincibiles*, *ſubtiles*, Doctores invenias. Potuiſſem huc ex *Italia* accerſere *Doctorem ſolennem* in *Petro Martyre*; *Aquinatem reformatum*, in *Hieronymo Zanchio*, niſi domum me retraherent, *Margarita* illa *Theologica Iohannes Inellus*, exactus *Raynoldus*, probatus *Humphredus*, certus *Hookerus*, & ex clariſſimâ noſtrâ *Sorore* expeditus *Whitakerus*, *Fulco* nervoſus, concinnus *Perkinſius*, vel ſi qui ſint alii, (*vivos* enim non attingo) ex iſto cenſu, qui huc uſque *teſtium* noſtrorum produxêre *catenam*?

qui

Vid. vſſer. de Chriſt. Eccleſ. ſucces & ſtat.

1 Theſſ. 2.

qui si componantur cum superioribus illis *tenebrionibus*, discrimen facilè apparebit inter *frumentum*, & *glandes*; inter *triticum*, & *paleas*: *Graciam* enim et *Barbariam*, *Athenienses* et *Getas* conveniſſe diceres.

7. Atque per hujuſmodi, ut videtis, *intervalla* continuata ſemper manſit, hæc *teſtium ſucceſſio*. Quod de *Phœnicibus* incertò traditur, in his veritatē obtinet; ex *cinéribus* unius prodit ſemper *nova ſoboles*, quæ confecto curriculo à *Domino* definito, ut *Moſes* de aliquo *Joſhua*, vel *Elias* de *Elizæo* ſucceſſore proſpicit; Ita Patres *Antediluvianos* et *Inſequentes* poſtea *Patriarchas* connectit *Noah*, *Patriarchas* et *Prophetas Moſes*, *Prophetas* et *Evangeliſtas* ipſe *Chriſtus*, hos excipiunt *Martyres* primitivæ Eccleſiæ ſub *dracone*, illos hi noſtri *teſtes* ſub *Antichriſti tyrannide*; iſtos tandem, *Reformatores* & eorum Diſcipuli, ad hodiernum uſque diem, ſic ut noſtræ jam adſint *vices*, ut in arenam etiam deſcendamus.

Ne autem in nobis aut nobiſcum, determinaretur hæc celeber ima *Creatio.*
teſtium linea, *ecce fœcunda Mater* Academia *pro* duobus *tot emiſit*, *quot* Muſas *numerat*, *qui quod* audiverunt, viderunt, crediderunt, *non dubitabunt conſtanter & animoſè efferre*, *et tanquam* lucernæ *in* candelabris *poſitæ*, *non ceſſabunt ſe conſumere ut alios illuſtrent*, & *excitatos à* beſtia fumos *ad Majorum exempla diſſipare*. *Quare ut ad vos tandem accedam* (*ſelecti* Filii) *ne exiſtimetis quæ dicta ſunt de* teſtibus *hiſce ad vos parùm ſpectare*, *et rei potius* geſtæ *quam* gerendæ *eſſe hiſtoriam*; *Siquidem ut* Petrus *ſuos conterraneos*, Act. 3. *ita libere vos effari liceat*; Vos eſtis liberi Praphetarum, et horum teſtium *ex aſſe hæredes*: *illi* laborârunt, & *vos in* labores *eorum in* vos *iſtis*. *Expectatur etiam jam veſter* fervor, & *heroica* magnanimitas *contra* ἐπανάστασιν *ejuſdē* beſtiæ *renaſcentia capita*. *Sunt*, *ut nôſtis quamplurimi*, *qui non* vocati *prædicabunt* ſuper tecta, & *non* miſſi, *currunt*: *At parum illud attendunt ſive* Hieronymi, *ſive* Originis, *quod habetur in Decret*: Licet Dominus elegiſſet Sacerdotē, convocatur tamen Synagoga, & requiritur in ordinandis præſentia populi, quia oportet tales & teſtimonium habere bonum ab his etiam qui foris ſunt. 1 *Tim.* 3. *Quinetiam non tantùm* μάρτυρες, *ſed &* μαρτύρομενοι, *ut* Diaconi, Act. 3 *ut* Cornelius, Act 10. *non* teſtes, *inquam ſolummodò*, *ſed et* teſtimoniati (*ut reddit* Illyricus) *vel ut* Beza *explicatiùs*, *teſtimonio quodā* idoneo *debeant ornari*, *qui tam* ampla *docendi* authoritate *ab* Academia *inſigniuntur*. *Ne quis autem vos vel ut* circulatores *contemneret*, *vel ut* impoſtores *condemnaret*, *curavit* Mater Academia, *ut certa quædam meriti veſtri*, & *collatæ dignitatis* Pignora, *in hoc* publico *Eccleſiæ* theatro, *ſolennitèr vobis traderentur*. *Primò igitur hoc* pronubo, *veluti amoris* annulo, *non* *Annulus.*
deſponſat *tantùm vos*, *ſelectiſſimæ ſuæ* Filiæ Theologiæ, *ſed* certo *jungit* connubio. *Vt autem* metallum *hoc*, *eſt* defæcatiſſimum, *ſic veſtram cupit futuram* doctrinam & converſationem. *Vt*

1 *Part. Gauſi* 8. q. 1.

aurum *in igne* splendet, *sed non* consumitur; *ita vos afflictio non* fractos, *sed* purgatiores *efficeret. Sicut* aurum *est oculis* gratum, *& cordi* salutiferum: *ita infirmos* illuminaret, *&* reficeret *vestrum* testimonium; *non* chymicè *ostentando, quod* non est, *sed* re ipsâ, *quod languet, corroborando; quod deficit, supplendo. Cupit ex* forma *ejusdem vos admonitos, quam in* orbem *semper redeunt vestri* sudores, *&* conflictus. *Ut autem circulus hic non admittit* angulos, *non* spiras, *non* ellipsin *aliquam, aut* hyperbolen, *nec* extremitates *habet in quibus desinat; ita* perennis *debet esse vester in testificando* constantia, *non* simulationis *anfractibus tortuosa, non* gyris *aut* spiris *serpentina, sed æquabilis, æquidistans, perfecta, verbo divino semper concamerata, in quo omnes* radii opinionum *coeant, ut indè certam ad* circumferentiam *deducantur. Denique, vult hoc annulum digitis vestris adaptari, ut semper vobis sit ob oculos, ad refricandam, & oneris & honoris tanti, à matre tam indulgenter collati, gratissimam memoriam.* Addit Birretum *sive* pileum *in libertatis* τεκμήριον, *illudque* capiti *imponit, ut innotescat omnibus vos non* ancillæ, *sed liberæ esse* prosapiam. *In hujus forma* quadrata, *habetis ex quatuor virtutibus* textum *fœlicis, verè* quadrati, *non ad* gnomonem *tantum* philosophicum, *sed* Theologicum; *qui non ascendit* supra *se, nec descendit* infra *se, nec progrediatur* ante *se, nec regrediatur* post *se, nec egrediatur* dextrorsum, *nec digrediatur* sinistrorsum. *Cum autem humanarum non sit* virium *ita firmiter & constanter gressus figere,* Librum *hunc* tertio *exhibendum vobis curavit, ut* columna *nubis sit vobis interdiu, et* ignis *per noctu, et* lucerna *pedibus vestris, et* lumen *semitis. Quare ut* Iohanni *præcepit* Angelus *in superiori capite, accipe* libellum *&* devora eum, *quia* oportet te iterum prophetare coram populis, *&* gentibus, & linguis, & Regibus multis: *ita liceat mihi vos effari, accipite hunc* libellum, *nec digitis tantùm attingite, vel sub culcitra reponite, sed* devorate eum, *et in succum convertite. Nam in fortitudine hujus cibi, molestissimum* restat iter *à vobis emetiendum. Quod ut* accinctiores *etiam capescatis,* ocreatos *vos in hunc locum* 4to *adduxit* Academia, *ut* gregibus *citò adesse et hostium terga premere expeditiùs potuissetis. Postremò hoc sive* pacis, *sive* unionis, *sive* communionis, *vos dimittit* Osculo, *adeo, ut in* annulo *assiduitatem, in* bibliis *veritatem, in pileo libertatem, in* ocreis *celeritatem, in* osculo *charitatem, quasi tot emblematis variegatam accepistis. Iamq;* (*Viri* spectatissimi, *& undequaq;* ornatissimi) *quid est quod ultra facere debet mater* Academia, *& non fecit? Quid habet quod in vos*

Pileum.

Biblia.

Ocreæ.

Osculum.

non

non effudit? Quid cupitis quod illa non præſtitit? Si fuiſſet illi gradus *aliquis ſublimior, libentiſsimè illum vobis contuliſſet: ſi aliis abundaret* theſauris, *liberrimè iſtos effunderet in veſtrum commodum. Illa tamen quæ* tot *indies parturit & alit* natos, *& ex cujus lacte tot pinguescunt* alumni, *non habet intereà (ut videtis) unde inchoata* Muſarum *perficiat* domicilia. *Pauci meditantur hodiè cum* Davide *inter rerum ſuarum affluentiam,* ecce ego habito in domo cedrina, *ſed filiæ* matris meæ *ſub dio pernoctant. Vt autem ab* operando *non diutiùs* operarios *detineam, videtis (ut ſpero)* Fratres *in* teſtibus *ante delineatis* vocationem veſtram; *habetis lenitatem in* Moſe; *fervorem in* Elia; *hoſtes in* beſtia; *ſortem in* morte; *contemptum in* cadaveribus inſepultis; *in* gratulatione mutua *mundi ingratitudinem; in hiſce excitandis rurſùs & coronandis, Dei* conſtantiam, & benignitatem, *quaſi in* Tabulâ *oculis veſtris adhibitam. Cogitate igitur jam conveniſſe vos hodie (ſicut olim* Iacob & Laban) *in* Gilead, *hoc eſt, (interprete Hieronymo) in* tumulo *ſive* acervo Teſtium *aut teſtimonii. In conſpectu* Dei, Angelorum, & Eccleſiæ, *nomina* Academiæ *dediſtis, auctoramenta accepiſtis, fidem interpoſuiſtis, ad difficultates non reſiliiſtis;* oleæ, candelabra, doctores, doctores, teſtes *eſtis. Intueatur ergò Iehova inter* nos & vos, *quando invicem receſſerimus à nobis;* Si taceatis *quando ſit* loquendum, *aut in* παροησιαζεσθαι, *fidem domini noſtri* Ieſu Chriſti *glorioſi habeatis; ſi hæſitetis, tergiverſemini, trepidetis ad hiatus ſeptem guttura pandentis* Beſtiæ; *ſi ambigui, dolo malo, vel in rem ſolummodò veſtram* teſtimonia *proferatis,* intueatur, *inquam,* Iehovah, & *judicet, non talibus ſtrophis aut artibus, vos à* Matre Academia *fuiſſe inſtructos, non in iſtos* fines *ad hanc dignitatem evectos, nec eâ conditione hæc accepiſſe honoris & laboris* inſignia; *quin potiùs* teſtis *manebit vobis* annulus, *perfidiæ;* pileus, *impudentiæ; teſtis* liber, *fraudis & prævaricationis; teſtis* oiculum *proditionis, et* ocreæ *ſimulationis; nec teget* dibaphus *tam deteſtandam in* Deum, *in* Eccleſiam, *in* Academiam, *in* fratres, *in* voſmetipſos *impietatem, quin æſtuabit intùs* conſcientia *tanquam mille* Teſtes, *donec* Iudæ *tandem exprimat confeſſionem,* peccavi prodito ſanguine innoxio. *Sed auſpicatiora* teſtatur *Spiritus ſanctus, veſtris cordibus Eccleſia* conteſtatur, ſubteſtatur Academia; *Vos* proteſtamini. *Vt autem* teſtatum *omnibus faciatis quàm exercitati acceditis ad hanc palæſtram: En* Rhodum, *en* ſaltum, Doctores *eſtis, quæ difficultates lateant in hiſce quæſtionibus docete: Nos interim ut* Teſtes *veſtri congreſſus* auriti & oculati *ſedebimus.*

Reſp. M. Hen. Watkins.

ORATIO II.

INAVGVRALIS IN PROMOTIONE DOCTORVM HEN. BEAMONT. RIC. TILSLEY. IO. HOLT. EDW. GEE. ED. CHETWIND. IOH. MOSLEY. RICH. CARPENTER. IOH. STANDARD. GEO. HAMDEN. RICH. CORBET. GUL. OSBASTON. RIC. LLOYD. SAMP. PRICE. IO. TAPSILL. DAN. FEATLEY.

OXONII in Comitiis habita Anno 1617.

De vestibus Aaronis.

EXOD. 28. vers. 1, 2, 3, 4.

1 *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum, cum filiis suis, de medio filiorum Israel ut sacerdotio fungantur mihi; Aaron, Nadab, & Abihu, Eleazar, & Ithamar, Filii Aaron.*

2 *Faciésque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorum.*

3 *Et loquêris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus, ministret mihi.*

4 *Hæc autem erunt vestimenta quæ facient: Rationale, & superhumerale, tunicam, & lineam strictam, Cydarin, & Balteum.*

ANniversaria hæc solennitas in *Doctoribus Theologia creandis* (doctissimi *Academici*, vosque quotquot huc confluxistis *auditum*, et *spectatum Advenæ* gratissimi) *novum* quotannis postulat agendi *modum*, qui tamen à receptâ *consuetudine* non prorsus recedat. Unde difficilis mihi incumbit provincia, in qua *vetera* et *nova* in hoc proscenio ita sunt disponenda, ut et *vetera* à *novis* recipiant *nitorem*, et *nova* à veteribus *autheritatem*. Cum igitur

igitur ſuperiori anno de *duobus Teſtibus Apocalypticis* verba fecerim, & *decem* iſtius partûs *filios Proteſtantes* adjunxerim: de *Veſtibus* eorundem (ſicuti mihi videtur) non incongrua erit hodierna *Præfatio*. Ita enim *veſtibus Teſtes* induti honorariis, & ipſi attentiùs penſitent quas perſonas ſuſtinent, ne ab ornatu diſcrepet *teſtimonium*: & populus penſiculatiùs attendat quid *teſtantur*, quos tam perſpicuis *Academiæ teſtimoniis* ornatos eſſe animadvertit. *Anna* paravit *Samueli* quotannis *tunicam*, 1. Sam. 2. Et *Joſephus* non dimittit *fratres* abſque *veſtibus* ſplendidioribus, Gen. 45. Quidni igitur eâdem indulgentiâ annoſa Mater *Academia*, ſuos non perſequeretur? & quos *fratres* nobis quotannis parturit, à nobis benè *veſtitos* demittendos non curaret? Ne autem *Lividus* quiſpiam *ornatus* hujuſmodi noſtros, ut *hiſtrionicos* ſugillaret, aut induendi ſolennitatem carperet, aut limis oculis intueretur, quicquid *more Majorum* à nobis fuerit in hoc genere obſervatum: audiat *Moſen* ob ore omnipotentis *legiſlatoris* ſic intonantem, Exod. 28. *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum*, &c.] de quibus pauca in limine ſunt prælibanda. Poſtquam *Tabernaculum* in præcedentibus ad *ideam* in monte exhibitam fabricâſſet *Moſes*; de *miniſtris* proxima incubuit ſolicitudo, qui ſacra in illo obirent munia: impar erat unus tam immenſo oneri: *Obſervationes, ſacra, ſacramenta, ſacrificia*, quæ *omnes* ritè vix peragerent, *uni* (licet Deum ipſum *vigilans* & *jejunans*, per 40 *dies* & *noctes* continuas *facie* ad *faciem* conſuluiſſet) nimium penè fuit delineare & diſponere. Συνέργοι igitur in *partem ſolicitudinis* neceſſariò fuêrunt vocandi: Quâ in re operæ pretium nobis erit cœleſtis oraculi conſilium attendere. Non enim admittendi ſunt *Ieroboami ſacrificuli* ex *face* plebis: ſed *noti*, ſed genere *illuſtres*, cœlitùs inſtructi, & ſepoſiti: *Applica ad te Aaron*] non *famulum*, aut *clientem* tibi ſubditum, aut à *tuo nutu* pendentem; nec tamen *Angelum* ſublimioris naturæ, quem trepidaret caro conſulere & adire: ſed *Fratrem tuum*] fratrem *natu majorem*, non ſtipatum *vulgi* turbâ, ſed *cum filiis ſuis*] Filiis non *alienigenis*, aut *degeneribus*; ſed, de *medio filiorum Iſrael*] *ſelectis* & *delibatis*. Adhuc enim *temerario auſu* non infames *Nadab* & *Abihu*, *Eleazar* etiam & *Ithamar*, inter tot *Heroum* millia, indole & virtutibus *conſpicui*, pro honore ducant ſi deſtinentur ad *Sacerdotii miniſterium*. Quibus ut incutiant etiam *externo cultu* aliis omnibus *reverentiam*: *Facies veſtem*] non *inhærente* aliquâ virtute, ſed ex *uſu ſanctam*,] ſecundum *meum* inſtitutum, in *meam gloriam*,] & *tui* inſtituti muneris *decorem*:] vides, (inquit *Ambroſius*) in *Sacerdotibus nil plebeium requiri*, nil *populare*; implendi ſunt *artifices* ſpiritu prudentiæ, ut ipſorum veſtes conficiant. *Numerus* & *materia* præſcribitur, ne *humanum* ingenium in *ridiculis formis* introducendis laſciviret. Quicquid rarum aut pretioſum mundi *gazophylacium* complectitur, huic ornatui eſt impendendum. Tantæ molis erat inſtruere *Ductores*, ad Domini militiam. Splendor pluſquam *Angelicus* (ut notat *Calvinus*) hîc requiritur. Quâ de re ut diſtinctiùs ſeligam quæ conducunt præcipuè ad præſens inſtitutum, non ludentis erit operæ, Primò *quænam*, *quot*, & *quid ſignificent* iſta Sacerdotum *veſtimenta*, obiter inquirere. Secundò, à *quo*, *quibus*, & *quem in finem* præceptum erat ut applicarentur, pari brevitate indagare: Inde autem *tertiò* pateat facilior ad præſentia tranſitus; & rerum *varietas*, & *præſtantia* ſublevabit aliquo modo veſtrum in audiendo tædium.

1 Sam. 2.
Gen. 45.

2 Et ne longè abeam. De *numero* veſtimentorum, licet *Authores* varient, non tanti tamen eſt diſcrimen ut *error exitialis* inde oriretur. Qui enim

octo tantùm *veſtimenta* ex hoc cap. eliciunt, quorum *quinque* volunt eſſe *ſummi Pontificis*, & alia *tria inferiorum Sacerdotum*, ut *Beda*; quique iſta inter utroſque ex æquo cum *Hieronymo* dividunt, ut *Ribera*, *Becanus*, & alii, nonnihil aberrant à *vero calculo*, ſi attendamus *Zonam*, *Tiaram*, & *Tunicam lineam* fuiſſe duplices; alias *ſplendidiores* & *Pontificiis*; alias *obſcuriores* ad interiorum *Sacerdotum* & *Levitarum* miniſterium. Unde *Rabbi Solomon* qui *novem*; *Joſephus*, *Abulenſis*, & è noſtris *Plurimi*, qui decem; *Aquinas*, *Burgenſis*, & *Cajetanus* qui *undecem* enumerant, facilè inter ſe conciliantur, dum diverſa reſpiciant. Exactior videtur numerus veſtimentorum *denarius*, è quibus *ſex* ſunt *Pontificis propria*, v. 4. reliqua *quatuor* filiis *Aaron communia*, v. 40. & 42. Quatuor autem iſta ſunt *Feminalia lini*, *Tunica*, *Balteus*, & *Tiara*, quorum *tria* nunquam induebat *Pontifex*, licet contrà ſtatuunt ex *Ioſepho*, *Toſtatus* & *Ribera*. Nam quorſum duabus *tunicis*, *balteis*, & *Tiaris* oneratus potiùs, quàm ornatus incederet? Ut rectè *Iunius* & *Montanus*. Exod. 28. ver. 41. Solùm igitur מכנסי־בד iſta *Feminalia linea*, utriſque erant communia, ne turpitudo carnis inhoneſtiùs detegeretur. Qui ergo omnes Miniſtros *puritate* vult eſſe *pares*, non *munere* tantùm, ſed & *habitu* diſtinguit *Pontificem* ab *inferioribus*. Unde rectè in hunc locum *Marbachius*, Commendatur *ordo* inter Eccleſiæ *Miniſtros*; nam qui καταχυείνειν non permittit, Matth. 20. aut χειροτονίαν, Luc. 22. ἐντροπίαν tamen ſuadet & ἀνεγκλησίαν, 1. Cor. 14. Et diverſos *gradus* inſtituit, Eph 4. quos *diſtinctos* hîc invenies quoad *ornatus varios*. Sed de inferioribus hiſce non libet aliquid ulteriùs adjicere, ut *Aaronem* in ſuis *Pontificalibus* (ſi ita loqui liceat) clariùs intueamur. Cujus veſtimenta ſi recenſeamus, non eo quo hîc habentur ordine, ſed quo *Levit.* 8. induuntur, occurrit. Primò כתנת השבץ *Interula*, *ſubucula*, *tunica ſtricta*, *prætexta*, ſeu potiùs opere *Phrygionico* ad morem *ocellorum* teſſulata. Quæ ut ποδήρης iſta *ambulantis* inter *candelabra*, Apoc. 1. ad *talos* uſque demittebatur. 1

Huic ſuper indutum erat מעיל *pallium*, ſive tunica circumtexta, non talaris (ut putavit *Sixtus Senenſis*) *Ephodo* tamen forſan duplo *promiſſior*. 2

Videtur fuiſſe abſque *manicis*, utcunque repugnant *Joſephus* & *Hieronymus*; quia *capitio* in ejus medio conſtituto (ut patet verſ. 32.) apartè fluitabat ad latera, ſic ut *manicis* locus non relinqueretur. Tota autem erat *hyacinthina* ſive coloris *violacei*, floribus affabrè variegata, ad *fimbriam* verò *inferiorem* alternatim habens per circuitum, *tintinabula aurea* & *malogranata*. An verò ex his & illis 72. tantùm, nec plura nec pauciora, non video unde didicerunt *Iſiodorus* & *Hieronymus*. Liquet hoc ſolum ex textu, diſpoſita ſic iſta fuiſſe in hunc finem, ut *Pontifex totus vocalis* ingrederetur Sanctuarium, ne fortè non audito ſonitu, morte lueret *ſilentium*. Tertium veſtimentum erat *Ephod*, ἐπωμὶς 72 Interpretibus; *Aquila*, ὀμοφόριμα; *Junio*, amiculum; vulgò, *ſuperhumerale*, ab אפד aptare ſtringendo. 3

Duplex autem erat, *commune*, & *Pontificale*. Puer *Samuel* & *David* Rex, accincti erant *Ephod*, 1 *Sam.* 2. Et 2 *Sam.* 6. Trucidavit *Doeg* Edomita 85. viros *veſtitos Ephod*. 1 *Sam.* 22. Sed *Ephod communi*, non *Pontificali*, ut rectè exponit cum *Rabbinis Vatablus*. Illud ſiquidem de quo hic agitur magnificentius multo fuit, et ſummo *Sacerdoti* peculiare; in quo ita *purpurâ*, *auro*, et *hyacintho* intertextum erat *xylinum* ſive *byſſus bilex*, ut ſpectantium oculos grato fulgore perſtringeret. Uniformi autem et polymitâ texturâ à ſcapulis ad cingulum ſic porrigebatur, ut nuſquam fiſſura conſpiceretur, niſi ad humerorum faſtigium, ubi duo אבני־שהם *lapides* vel *onychini*, vel *Sardonyci*, in morem fibularum *alas* converſ. 9. nectebant.

nectebant. Isti vero minutuli esse non potuissent, in quibus *nomina filiorum Israël sex* in lapide uno, *sex* reliqua in *altero*, juxta ordinem nativitatis inculperentur. His Quartò accessit אבנט, *Zona*, sive *balteus* opere *Phrygiano vermiculatus*, ad serpentis *formam* senectutem exuentis, (ut *Sixto Senensi* placet.) Iste autem semel atq; iterum *Ephodum* & *Tunicam* astringebat, *nodis* inde extremitatum (si *Philoni Judæo* fides) ad talos usque *defluentibus*, quos alii ad modum *corrigiæ* supra umbilicum contrahunt. 4.

3 Sed ad quid perditio hæc, obmurmurabit *Iscariotes* aliquis? quò tendit tantus *splendor*? numquid *theatrici* vestium fulgores, animarum recessus penetrant? Ita mussitant quamplurimi in angulis, & sibi ipsis detractum æstimant, quicquid religioni & cultui Divino impenditur. Sed ut *Codro rumpantur ilia*, pergit Dominos unctos suos splendidiùs adhuc ornare. Legimus de *Alcistenù* cujusdam *Sybarita* pallio, quod 120 talentis *Carthaginensibus* vendidit *Dionysius* apud *Athenæum*. Et de *Obolla*, sive prætexta *Demetrij Regis Macedonum*, quam nullus postea Princeps indueret, propter invidiosam impendii magnificentiam. At istæ *lacinia* tantùm sunt ad חשן *Pectorale*, sive *Rationale judicij*, quod Quintum erat *Aaronis* ornamentum. In quibus omissis *annulis*, *catenulis*, *vittis*, *uncinis*, quibus affabrè *superhumerali* erat affixum; satis negotii faceret textus, si aliqua ex parte tantùm enucleemus, quare *quadratum* statuitur, & insuper *duplicatum*. In quadro illo *quatuor* occurrunt *series gemmarum*, quas novæ *Hierusalem* parietibus, substratas postea legimus, *Apoc*: ult. Non vacat autem *sciolorum* criticismos de harum *naturis*, & *nominibus* discutere. Sufficiat quod secundum *Hieronymum* & *antiquiores*, *Sardius*, *Topazius*, & *Smaragdus*, primum *ptlum* impleverint. *Carbunculus*, *Saphyrus*, & *Iaspis* secundum. Tertium *Lincurius*, *Achates*, & *Amethystes*. Quartum *Chrysolitus*, *Onychinus*, & *Berillus*. Habent hic *Chymici*, *Physici*, & *Philologi* implicatissimam altercandi segetem. Sed *Theologus* penitiùs introspicit, & inter hujus *pectoralis* plicas, *Urim* & *Thummim* recondita esse animadvertit. De his autem *duplex* veluti *crux* curiosis erigitur; Prima quid fuerunt *in se*; secunda, quâ ratione consulentes *responsa* inde indubitata à *Domino recipiebant*. Sunt qui hic hærent tantùm in verborum cortice, nec ultra ipsorum significata quærendum autumant: unde *Doctrinam* & *veritatem* reddit *vulgaris*, δήλωσιν & ἀλήθειαν 72. Sed profundius quid in Textu videtur latere. Nugantur autem *Remistæ* dum hinc *divisionem Dialecticæ* suæ castratæ, in *Inventionem* & *Iudicium* extunderent: *Abulensis* ad oraculorum *manifestationem*, & consulentium *illuminationem* hæc refert omnia. Sed videntur verba non *qualitatem* aliquam, aut actum, sed *materiale quiddam* designare. Nec adjuvant hic *Rabbini*, quos adducit confertim in paraphrasi Chaldaicâ *Paulus Fagius*. Quam ridiculum enim est, & *superstitiosum*, vel *characteres Astrologicos* cum *Aben Esra*; aut *nomen Tetragrammaton*, vel inibi *inscriptum*, vel per *Urim* & *Thummim* expositum, cum *R. Solomone* comminisci? Nec probabiliùs multò *Philo Iudæus*, & *Aquinas* duas depictas in *Rationali* virtutes obtrudunt; & *Bellarminus*, & *Martinius* ex *Beda* & *Augustino*, duò ista totidem literis descripta *nomina*. *Suidas* uni Adamanti; *Calvinus* duabus *gemmis* cæteris fulgentioribus, hæc nomina applicat. *Oleaster*, *Lipomannus*, *Osiander*, & *Ribera*, non distinguunt cum *Iosepho*, *Vrim* & *Thummim* à cæteris *duodecim gemmis*; sed quemadmodum nonnulli asserunt *galaxian* conflatam esse, ex commistis multarum stellarum *radijs*; ita ex *unito* horum lapidum *fulgore*, præsertim

5. L. 12. c. 16. *Gel. Rhod.*

præsertim in fausto aliquo responso, *Vrim & Thummim* eluceſcere. Ita in divortia diſtrahuntur, vel præſtantiſſima ingenia, cùm de divinis audeant *ariolari*, extra ſacra Canonis pomœria. Modeſtior igitur in hunc locum *Auguſtinus*, agnoſcit hujus myſterii difficultatem, & *veneratur* potiùs quàm *eventilat*. Apud nos (inquit *R. David*) quid hæc ſignificent non eſt manifeſtum. Nec aliter è Chriſtianis *Cajetanus*: Quid ſignificatur per *Vrim & Thummim*, nullus (quantum novimus) hactenùs explicavit. Conſtat autem hoc tantùm ex textu non *facta* fuiſſe hæc ab *artificibus*, ſed à Deo immediatè *tradita*. Ita enim de cæteris leginus, Facies *hoc* vel *illud*: at de *Vrim & Thummim* ſic habet verſ. 30. non *facies*, ſed *pones* illa in ſacro pectorali judicii. Unde concludit *Galleſius*, diverſum quiddam fuiſſe *Vrim & Thummim* à *lapidibus & catenis*. Quis autem vel *materiam* lapidum illorum in quibus inſcriptus erat *decalogus*; aut *manna* naturam, quæ ad *Solem* liqueſceret, ad *ignem* indureſceret, aut ignis iſtius *originem*, qui cœlitùs delapſus ſacrificia devorabat, commodè nobis explicaverit, niſi revelante illo ſpiritu *qui ubi vult ſpirat*, & *neſcimus unde venit & quo vadit?* Sufficit igitur obſervâſſe, *Vrim & Thummim*, à Deo tradita, à *Moſe* recepta, & inter *Rationalis duplicitatem* veluti in thecâ quâdam fuiſſe incluſa. Quod de *ſplendoribus*, ſive *accidentibus* ſine ſubjecto, non propriè quis affirmaverit. Ultra, qui temerè quid aſſeruerit; videat ne venditando ſcientiam, tam imperitis quàm ſagacioribus debeat ludibrium.

4 Nec levior injicitur ſcrupulus de hujus myſterii uſu, ſive Domini per *Vrim & Thummim* reſpondendi modo. *Joſephus* & *Suidas* fœlicem colligunt ſucceſſum ex inſolito *Sardonycis* in dextrum humerum, aut aliorum lapidum, in *pectorali* fulgore. *Maimonides*, *Aben Ezra*, & *Hugo de S. Victore*, Sacerdoti amiculum intuenti *literas* quaſdam *apparuiſſe* autumant; ex quibus (non ſecus ac *Ethnici* ex *Sybillæ* foliis) reſponſa fatidica contexeret. *Montanus* exiſtimat hæc recondita Sacerdotes primò extraxiſſe, deinde inſpexiſſe, & inde Dei reſponſum ex *apparentibus* quibuſdam *notis* intellexiſſe. *Nehemonides* diſtinguit de *duobus* propheriarum generibus, primum eſt *Nathcol* per vocem cœlitus dimiſſam: ſecundus eſt *Madregeb*, *occultus* ſpiritus *inſtinctus*; quo afflatum fuiſſe Sacerdotem ob præſentiam *Rationalis* aſſerit. Sed textui iſta non ſatisfaciant, unde non tantùm *vocem*, ſed *diſtinctis quæſitis* reſponſum apertiſſimè licet colligere. 1 Sam. 23. Hoc autem per *gemmarum* inſolitum *fulgorem*, aut *generalem* neſcio quem *inſtinctum* (ſicut rectè urget *Ribera*) commodè fieri non potuit. Ideoque hallucinatur ipſius Symmiſta *Delrio Diſqui Magic.* l. 4. c. 1. dum *ſimplicem affirmationem* per colorem, cætera per *Sacerdotis inſpirationem*, ad præſentiam *Vrim & Thummim* expedita fuiſſe memorat. *Vox* ſiquidem *Divina*, *clara*, & *diſtincta* proculdubiò hîc intervenit; in cujus vicem (*Vrim & Thummim* juxta *Montanum* & *Burgenſem* in captivitate amiſſis) *Bathcol*, *filiam iſtius vocis* ſuperioris *Nathcol*, recentiores *Rabbini* introduxêrunt. Hæſi diutiùs quàm par erat in abſtruſioribus iſtis evolvendis, quod compenſandum quantùm fieri poteſt in ſequentibus. A *Pectore* igitur ad *caput* jam tandem aſcendamus. Ubi ſextò occurrit *Tiara*, *Mitra*, *Infula*, ſive *Cydaris*. Hæc Hebræis eſt duplex מגבעת ſummi *Pontificis*; & מגבעות *Aliorum*. Primam vult *Hieronymus* ex *Joſepho* referre pictum apud antiquos, *Vlyſſis pileum*, in morem *ſphæræ diviſa* rotundam. *Villapandus* falciam ſive *vittam* tempora *cingentem*, & in dorſum inde

In Apparat.

De Templo & ijs quæ ad templum pertinent l. 3. c. 12.

Bambach.

6. Verſ. 4. Verſ. 40.

inde diffluentem (ut videre est in veterum *Imperatorum* imaginibus) pro infulâ hâc Pontificiâ substituit. Sed *Jesuitam* non ageret, nisi aliquid singulare parturiret. Hoc interea tamen non probat ipsius Symmista *Cornelius à Lapide*. Verùm de figurâ hujus *pilei*, quam textus non delineat, nequaquam libet argutari. Potuit esse *geminus* (ut vult *Sixtus Senensis*) interior *rotundus*; exterior, aliquanto *elevatior*, quem Author *libri Ecclesiastici Mitram* appellat, quamque ornandi capitis rationem provectiores inter nos observant. Sed hîc præ cæteris erat conspicua *lamina* ista *aurea* sive *bractea*, vittâ hyacinthinâ fronti *Pontificis* alligata, cum hâc inscriptione יהוה קדש *sanctitas Domino*. Atque ita prodit tandem *Aaron* à capite ad calcem ornatus, *Os humerosq; Deo similis*, ad spectantium oculos perstringendos, & reverentiam quandam religiosam tantâ majestate incutiendam. Ubi sublimiora tamen intuetur *mentis oculus*, dum à cortice ad nucleum, ab *umbris* ad *substantiam*, à *vestibus* ad ipsarum *significata* piè dilabatur.

In Exod. c. 28.

Bibliorb. Sanct. l. 3.

5. Tanta siquidem debet esse scientia & eruditio *Pontificis Dei* (sicut rectè monet *Hieronymus* in Epistola ad *Fabiolam*) ut *& gressus ejus, & motus, & universa vocalia sint*. Atq; hic ut fusissimi sunt maximâ ex parte *Antiqui*, in vestibus ad *mores* accommodandis; ita lasciviunt *Scholastici*, & *Postillatores*, sophisticantur verò *Iesuitæ*, ut ista ad *Romani Pontificis* πολλῶ παρουσίαν, vel *confirmandam*, vel saltem *excusandam* torqueant. *Vrim & Thummim* licet (ut accepistis) in *Scripturis* non satis *expressa*, & Judæis ipsis *ignota*; suppeditabant tamen *Bellarmino*, Serrario, & *Alcasar*, invictum argumentum, quo *Papæ infallibile* ἀνάθεμα, in controversiis dirimendis obtineat. Quid forma *Cydaris* sive *infulæ legalis*, ad Evangelii *Præcones*? *Serrarius* tamen & *Cornelius à Lapide*, chymico nescio quo artificio, *triplex* Pontificis *diadema* hinc eliciunt. Ubi illud tamen incommodè cadit, quòd *inscriptiones* non usquequaque conveniunt. Pro sanctitate enim *Iehovæ*, laminæ hic insculptæ, *Mysterium* tantùm (juxta illud *Apocalypseos* 17.) illic circumscriptum reperies. Postremò, ampliora sunt quæ eruit hinc *Becanus* ex harum vestium plicaturis, institurâ siquidē in *opusculo* quodam de *Pontifice vet. Testamenti*, inter *Regem* & *Papam* comparatione; *octo* ad minimum *titulis*, *Originis*, *Antiquitatis*, *Familiæ*, *Inaugurationis*, *Unctionis*, *Ornatûs*, *Officii*, *Exemptionis*, & *Authoritatis*, pedum sceptro præponit. Sed abutor vestrâ patientiâ, dum hujusmodi *mancipiorum præstigiis* locum inter seria concedo. Vestes has fuisse *significativas*, timidiusculè forsan assererem, nisi occurrerent in ipso textu, quæ facem mihi ex hâc parte præferrent. Portabit *Aaron* in *humeris* nomina *filiorum Israel*, in recordationem, vel Patriarcharum, ut imitetur *illos*, quorum gestat *nomina*; vel *populi*, ut recognoscat ipsorum sarcinas ipsius *dorso* esse alligatas. Portabit rursus in *pectore*, gemmis insculpta *eadem nomina*, ut semper habeat in conspectu quàm Cordi sibi debet esse totius gregis *salus*; quem non bajulat tantùm in *humeris*, per *patientiam*; sed in *pectore* etiam, per *dilectionem*. Portabit demum in *fronte* laminam, ad *solennitatem* tanti muneris, quod non solùm *internum* splendorem, sed *externam* etiam *professionem* exigit. Solverem in Oceanum, si vel singulas commentantium *tropologias*, obiter tantùm indigitarem. Alii *mundi compagem* in hisce *vestibus* ita complicatam imaginantur, ut *Feminalia linea*, Terram, ex quâ *linum* nascitur; *Balteus* Oceanum illum ambientem; *Tunica hyacinthina*, aërem qui hyacinthini est coloris; *Tintinnabula*, tonitrua; *malogranata*, coruscationes; *Ephod* cœlum sidereum;

De Rom. Pont. l. 4 c. 3. Iosuan. Sacerd. c. 2. In Apocal. In Exod. 28. Triplici papæ Tiaræ illud inscriptum fuisse emblema, asserit Broccardus, sed nuper expunctum, & ipsius loco substitutum Iulius Pontif. Max. *monuit Thomson noster in Elench. cont. Eudæm. ad paradox. 10.*

Aq. 1. 2. q. 10. art. 3.

sidereum: *duo onychini*, duo hemisphæria; *duodecem gemmæ* in *pectorali*, duodecem signa Zodiaci; *Tiara*, cœlum Empyreum; *Lamina*, Deum omnia moderantem exprimerent. Alii, per *seminalia*, puritatem; per *cingulum*, discretionem; per *tunicam hyacinthinam*, cœlestem conversationem; per *tintinnabula aurea*, sanam doctrinam; *per mala punica*, bonos mores; per *superhumerale*, patientiam ad ferendam infirmitatem aliorum; in *Rationali*, solicitudinem pro fidelibus; in *Tiarâ*, rectam intentionem; in *laminâ*, conspicuam sanctitatis professionem, adumbratam esse contendunt. Nullus esset *finis* si gemmas particulatim attingerem: Iugerit *Reubenis Sardius*, humilitatem, & maleficiis resistit: *Topazius Simeonis*, clementiam, & medetur phrenesi: *Levi Smaragdus*, virentem vivacitatem, & morbum caducum expellit: In *Carbunculo Iudæ* integritatem dissipantem tenebras: In *Saphyro Danis*, tranquillitatem sopientem rixas; in *Iaspide Nephthalis* fortitudinem exantlantem difficultates, reperias: Pari ratione perspicacitas in *Gadis Lincurio*; Tolerantia in *Asseris Achate*; sobrietas in *Amethysta Issachar*; ut in *Crysolita Zabulonis*, dignitas; in *Onychina Iosephi*, humanitas; in *Beryllo Benjaminis* liberalitas relucere, deprehenditur. O divinam instituendi methodum, ubi *gemmæ* sunt pro *literis*, & vestimenta exhibent exactum faciendorum *systema*! Sunt fortasse *galli gallinacei*, qui grana hordei mallent, quàm omnes hujusce modi *uniones*; Sed *negotiator in Evangelio*, *vendit omnia quæ habet*, ut tales *margaritas* comparet. Quod quomodò fiat legitimè ad præscriptum illius qui largitur omnia, superest jam ut (sicut in *initio* proposui) secundo loco carptim tantùm indicemus.

Becan. de Pont. v. 1.

Vid Abul. Exod 28. & Carm. Laremberg. apud. Chytræum.

Matth. 13.

6. Ut nemo se impunè ingerat in *Pontificis* cathedram, nisi qui *vocatur à Deo*, *sicut Aaron*, Hebr. 5. Ita nullus tutò induat has sacratas vestes, nisi acceptas ab *aliquo Mose*, authoritate instructo. Ita enim textus, Non *Aaron* se intrudat, sed *Tu applica*.] Non vestimenta *sibi* contexat, sed *Tu facies*.] Ego replevi sapientes *spiritu prudentiæ* ad illud munus, qui tamen hîc nihil tentabunt, nisi ad tuum præscriptum. Remoram hæc injicerent præcipiti *quorundam* audaciæ, qui non vocati currunt, & arripiunt *vestes Sacerdotales*, cùm non adsit qui induat. Ecquid tales non animadvertunt se *larvas* esse, ex *Servatoris* sententiâ, cùm legitimè per *ostium* caulæ non ingrediantur? *Paulum* proculdubiò & *Barnabam*, instruxisset antea *Spiritus Sanctus* ad opus ministerii; *jejunantibus* tamen & *orantibus Apostolis*, *Segregate*, inquit, mihi *Paulum* & *Barnabam* in *opus ad quod elegi eos*. At quorsum ista *segregatio* & *manuum impositio* (inquit *Calvinus*) postquam suam electionem testatus est *Spiritus Sanctus*; nisi ut *Ecclesiastica disciplina* in *designandis per homines Ministris conservaretur*? Ut enim exitio fuit *hospiti* in Evangelio *defectus vestis nuptialis*; ita non levius creabit periculum *vestis sacerdotalis*, quam *pruriens* suffurata est *ambitio*, & non *applicavit* certa authoritas. Unde jubentur ipsi *Apostoli manere Hierosolymis*, donec *virtute ab alto facti fuerunt illuminati*. Christus priùs *sedet in medio Doctorum*, (ut rectè dist. 36. *Gratianus*.) quàm publicè cœpit munus *Mediatoris* obire. Nisi enim *Urim* & *Thummim*, id est, *Illuminationes* & *perfectiones*, intra *pectoris* latent *recessus*, audiat forsan *Diotrephes* φιλοπρωτεύων, utcunque *Doctoralibus* purpuratus *insignibus*, *Amice quomodò huc venisti*? Enimverò ut ridicula est illa *Canonistarum* hypocrisis, non admittens aliquem ad *personale regimen*, nisi *specie* saltem renuat, vel *trepidè* admittat ut fœmina, vel *callidè*, sicut *Episcopus* ille *Metinensis*, qui interrogatus an vellet *Episcopatum*; *Nolens* (inquit) *volo*, & *volens nolo* (nugæ sunt istæ *Glossæ* ad q. 1. caus. 8.) Ita non

Act. 13. 2.

Matth. 22.

C. in Scripturis

non ferenda est *præpostera* istorum *festinatio*, qui *honori* tantùm inhiantes, *oneris* necessarii annexi *rationem* non habent. Pulchrum est illud *Gregorii* de *Isaia* & *Hieremia*, quorum hic quærenti Domino *Prophetam* ad prædicandum, respondet alacriter, *Ecce ego, mitte me*: Ille autem, *Ah Domine* (inquit) *nescio loqui, quia puer ego sum*. Laudabilitèr unus *appetit*, quod aliter *expavit*: iste ne *tacitæ contemplationis* lucra loquendo perderet: ille ne damna studiosi operis *tacendo sentiret*. Sed hoc in utrisque subtilitèr intuendum, *quia & is qui recusavit plenè non restitit, & is qui mitte voluit, antea per altaris calculum purgatum se videt*. Videmus igitur in *dignitatibus* hujusmodi *ambiendis* & locum habere *modestiam*, dummodò sub *prætextu fictæ humilitatis* non litemus otio; & amplectandam esse *illam alacritatem*, quam *operis* non *mercedis* excitat intuitus.

Non in his salus Animarum sed luxus quæritur divitiarū &c. Bernard in Ps: Qui habitat. serm. 6.

7. Non vacat nec liber *Ethnicorum* hâc ex parte *Sacrisuariam* persequi; ut fuerunt illi in aliis, Ecclesiæ *Simia*: ita in istâ *vestium* sacratâ solennitate, nihil omisisse videntur, quo vel *reverentiam* personis, vel religionem *mysteriis* suis, pro ratione *loci* aut *colentium* conciliarent. Quis enim non legerit apud *Herodotum*, *Plinium*, *Plutarchum* & alios, *Ægyptios* suas tunicas, *lineas* & *hyacinthinas*, sua *pectoralia*, sua etiam *Sistra* argutùm tinnitu constrepentia, in *sacris solennioribus* adhibuisse? Lapidibus duobus *onychinis* super humeros *Aaronis* conspicuis, *corollia* quædam inter *Sacerdotes indicas* memorat fuisse Analoga, *Alexander ab Alexandro*. *Insula*, *mitra*, & *tiara*, quàm obvia sunt apud *Apuleium*, & alios prophanos Authores vocabula? Femoralia à nullis fuisse neglecta existimat *Guilielmus Stuckius* in sacrorum *gentilium* descriptione, quia in *fano* aut *templo* se nudare nefas erat apud quamplurimos (ut author est *Plutarchus*) Ita dictavit ipsa natura non peragendum esse *Divinum cultum* absque omni cultu, sed *ceremonias* nonnullas conducere, sive ad rei *solennitatem*, sive ad personarum *distinctionem*, sive ad morum *conformationem*. Quas si accepissent hîc gentes ut *Aaron*; & non de proprio cerebello excogitâssent; si fuissent *numero pauciores*, *significatu illustriores*, *proceptypo accommodatiores*: doluisset potiùs *Iudæus* abstuisse *Vrim* & *Thummim*, quàm ejusmodi *vestimenta* omnia è medio tollenda consuluisset.

Lib. 1. c. 8.

8. Sed ferenda erat *Paganorum*, præ *Romanensium* ex hâc parte insania. Inspiciat modò quispiam *Monachorum* lustra, & armenta. Nescio quomodo ἀντιψία alios affecerit, mihi picturæ istæ *Creccellii* 66. habitus *Fraterculorum* delineantes, quodvis *drama* aut *scenam* superare videntur. Equidem sicut neminem adeò *morosum* esse vellem, qui habitum gradui suo competentem *cynicè* averseretur (nam incidat nonnunquam *Doctus* in tales *Barbaros*, ut *Doctor* iste apud *Hostiensem*, qui plus *cappa* deferrent quàm *capiti*:) ita *plaustra* quisquiliarum *de novo* non invehenda suaderem, quæ *Mystas* mutarent in μορμολύκεια sive *larvas*, & ad populi potiùs *Euporem*, quàm *ædificationem* conducerent. Prudentèr hac de re *Augustinus*: *Animadvertendum* est (inquit) non *in solo nitore*, & *pompâ*, sed in *sordibus ipsis lutosis esse posse jactantiam*: & eò *periculosiorem*, *quò sub nomine servitutis Dei decipit*. Non igitur affectatæ *sordes*, nec exquisitæ *munditiæ*, Christiano conveniunt; (ut rectè ad *Eustochium Hieronymus*) sed in omnibus hujusmodi (regula est *Augustini* apud *Gratianum*) *non ex rerum naturâ quibus utimur*; *sed ex causâ utendi*, & *modo appetendi*, vel *probandum est vel improbandum quod facimus*. Cùm hujusmodi igitur *personati Andoltones* in conspectum prodeunt, annon periculum est ne corripiantur à *Domino* (ut

olim *David* ab Achis *Rege Gath*) An *desint nobis furiosi, quia introduxistis tales*, qui *furerent* me præsente? Nec excusandi magis sunt ejusdem sectæ *Episcopi & Sacerdotes*, tum quia nescio quid *inhærentis sanctimoniæ*, in vestibus quas inter sacrificandum gestant, reponunt; tum quia illas etiam non à *Iudæis* solùm, sed ab *Ethnicis* se mutuatos fuisse gloriantur. Adde quod *numero* etiam onerant, & ita *scenam* redolent, ut *oculis* non *menti* accommodatas illas affirmaveris. Quid autem opus fuit de *cappis* & *caputiis*, de *planetis*, & *sandaliis*, de *caligis* & *chirothecis*, de *mitris* & *manipulis* tam superstitiosa Ecclesiæ obtrudere? Qui *Gabrielis*, *Durandi*, *Beleth*, aut aliorum consulerent in hoc genere *Rationalia*, judicaret ferè harum vestium *consarcinatores*, voluisse de composito cum *ratione insanire*. Omittendæ sunt hic à me *pulchræ* illorum *consequentiæ*, quibus ista probarent *imperitioribus*. Ut pro amictu caput obnubilante, vidi *Angelum* descendentem è cœlo *amictum nube*. Apocal. 11. pro *sandaliis*, non *equitantes* sed *euntes prædicate*: Matth. ult. quemadmodum *Tropologiæ* & *Anagogiæ magistrales*, quibus tomos farciunt, Institutum pressiùs persequor. Negari quidem non debet *vestium* in sacris *peragendis* usus, & *solennitas*, nec eo nomine *Romanensibus* litem graviorem intendimus: sed quas reliquit *Dominus* liberæ esse *institutionis*, non admittimus nos ut *absolutè necessarias*. In quibus proponit ille *διαφίαν* tantùm & *διαφωνουσιν*, propter *inditam* aliquam *sanctitatem* in *idola* non convertimus: didicimus ab illo distinguere, inter *ornatum decorum* & *superstitiosas Ethnicorum lacinias*; habitus illos induimus, quæ religionis *castitatem* deceant, non *Fucos Babilonicos*, qui vel *specie* fascinent, vel *numero* distrahant, vel *scandalo* moderatioribus esse possint: recepta non facilè *antiquantes*, vel nova arripientes ad cujusvis *fanatici tumultuantis* clamores, sed ad *Præpositorum* (quorum interest) *maturas deliberationes*. Unde ornatiores præ cæteris omnibus reformatis incedunt (ut videtis) *nostra Academia*, non exprobrantes aliis *simpliciorem cultum*, sed pro *accepto* agnoscentes *demensō*, ampliorem rerum copiam. Sic *Baccalaurei* habent jure in hoc loco unde dignoscantur à *Scholaribus*; *Magistri*, unde à *Baccalaureis*; *Licentiati* in aliquâ *professione*, unde à *Magistris*; *Doctores*, unde *inter se*, & ab *hisce omnibus*. Quales cùm tot enixa sit hoc unico partu *fœcunda* mater *Academia*; & defunctos jam tot *laboribus* sistat in hoc theatro solennitèr *creandos*: iniquus essem illis & vobis (*Academici*) si vos *expectatione* nostrâ, illos verò debito *bravio* diutiùs frustrarer.

1 Sam. 21.

Grat. dist. 21. *c. cleros Lomb.* 4. *sent. d.* 24.

Creatio.

9 *Atque hîc non ero* prolixus *aut* curiosus *ad explicandum quomodo* Doctoris *insignia, vestes referant Aaronicas*: *sufficit si quæ* liberæ *sint* observationis, *lineamenta saltem aliqua ab* Antiquitate *deducant*. *Quis autem non deprehendat in* prætexta Aaronis talari, *nostram* Togam; *in* מעיל *sive* pallio, Epitogium *nostrum* purpuratum, *in* Cidari *sive* Tiarâ pileum, *quadantenùs adumbratum*? *Iam vero* malagranatorum & tintinnabulorum *defectum*, *supplebit* Annulus; laminæ aureæ, charitatis osculum. *Nec* Pectorale, *extra* gemmis, *intra* Vrim & Thummim, *quovis thesauro pretiosius*, *præponderabit huic* cœlesti chirographo *quæ in* foliis *hisce* chartaceis includitur.

Biblia.

Accedite ergo (dilecti filii) & symbolis *matris* demissoriis,

ut

ut laboris & industriæ complemento, post tot sudores jam tandem gaudete. In posterum hunc Annulum *in conspectu semper gestabitis. Vt autem* filium *revertentem affatur* indulgens Pater, *Luc.* 15. Date annulum in manus ejus: *idem repetit vobis* Mater, *ad sublimiora tendentibus*, Annulum *hunc accipite meæ solicitudinis* arrhabonem, *& agnoscite quæ* sponsalia *hoc tempore contraxistis. Nôstis quæ hîc præcipi solent de* formâ, *quomodò* circularem *industriæ* perennitatem; *&* materiâ, *quomodo* auream *ingerit* integritatem *in exploratione ignea. Ego tantùm illud ulteriùs adjicio,* Vivam *ego* dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iudæ, annulus in manu dextrâ meâ: inde tamen evellam eum; *tam parùm potest* symbolum *sine re* significata (*ut rectè ex hâc parte* Durandus) *nec* ornamento *erit hîc* annulus *aut* adjumento, *si* pacta *per eum* fides *intemerata non servetur. Et ne opus sit hujusmodi (quoties excidunt)* repetere, *aut inculcare; ista vel istis* infinita *alia præstantiora accipite in hoc* Divinæ sapientiæ gazophilacio. *Obstupuerunt antea* Interpretes *ad arcanum* Vrim & Thummim: *ipse ausim hîc aliquid ultra eos omnes sapere; aut latet in hoc* scrinio *istius mysterii* virtus, *aut ego eam inquirendam infra* cœlum Empyræum *non existimaverim. Cúmque loco* pectoralis Aaronici *Fissura hîc in indumentis vestris pateat, cur non hoc* vacuum *relictum esse dicerem, ut vice* Rationalis gemmati, *hæc præstantior* margarita Theologica *reponatur, & in sinu semper circumgestetur? Cujus si vos (ut oportet) consulatis* oracula, *fideniter de vobis affirmem, quod impudenter quidam* agyrtæ *mentiuntur de suo* controversiarum Iudice, Privilegium non errandi *vos inclusum gestare in* pectoris scrinio. *Hoc autem ut liberiùs in posterum profiteamini, non ut discipuli ad pedes* gamalielis, *sed ut in* cathedra Mosis & Petri *sedentes* Doctores: *Habete tertiò* Pileum, *manumissionis hujus vestræ conspicuum* indicium; *non* rotundum *aut* turbinatum, *ut illud* Aaronis *ad* Iudaicæ Synagogæ *circum solummodò adaptatum; sed quatuor angulis designans* omnes mundi plagas, *ubi amplior vos expectat* messis *liberiores* operarios. *Quod si tædeat tam immensa intervalla* pedestres *conficere videamus pedes annon estis* ocreati? *Ascendite igitur* equos albos, *cum* primo Angelo Apocalyptico, *&* vincentes *exite ut* vincatis. *Quid si irruat à fronte (quod eò magis sentietis quò in primâ acie estis ferventiores)* septem *guttura* pandens ~~irruit~~ Bestia? *cogitate* dibapha *esse hæc quæ induistis* integumenta, *colorem*

Annulus.

Biblia.

Pileum.

Ocreæ.

Apocal. 6.

colorem igitur variare *nec possunt, nec debent. Sin à tergo etiam vos pungant* crabones domestici, *habetis hîc partem* manticæ, *quâ reponatis illorum* loidorias *Iamque* (Purpurati, Annulati, Pileati, *undique* ornati, *& ad profectum* ocreati filii) *quid aliud tandem restat, nisi ut Paulus fratres* Ephesios *charitatis* osculo *vos dimittam? Appropinquate igitur, ut hoc* ultimum *amoris pignus ceteris addatur. O qualem, (ut* senex Isaac) *sentio vestium vestrarum inter osculandum* odorem! *Quid igitur ea quæ sequuntur non adjicerem?* Det vobis Deus de rore cœli & pinguedine terræ; *quæ descendant ut unguentum* Aaronis *à* capite *et* Barbâ *in* oram vestimentorum. *Quibus licet non appendantur* tintinnabula *ad excutiendum torporẽ, instar tamen* campanularum *sit* verborum Hebraicorum sonitus. כביב פעמן זהב ורמון פעמן זהב ורמין על־שולי המעיל *ad excitandam* industriam, *ne (prophetia deficiente)* Pastor *pereat cum populo. Postremò veniant vobis in memoriam, quæ contigerunt primogenitis* Aaronis Nadab *&* Abihu. Tituli *&* vestes *non prosunt absque interno* Vrim *&* Thummim, *hoc est,* Evangelica (*de qua loquitur* Apostolus) Dei παρρησία. *State igitur* lumbis circumcinctis *virtute, & induti* thorace justitiæ, *calceatis pedibus* præparatione Evangelii *pacis. Si evibrentur à fronte ignita jacula,* scutum fidei *opponite; si impendeant capiti,* galeam salutis *imponite. Et ne quis impunè ita armatos lacesseret, ad manum semper sit* Spiritus gladius, *hoc est,* verbum Dei *ut ita* interiùs *cataphracti,* & exteriùs *vestiti, sicut* Iaddus, *olim Pontifex.* Alexandro, *apud* Iosephum; *ita timorem vos incutiatis isti** Alexandri *filio, qui* setas *incipit erigere, & vos* tot tales *& sic* vestitos, solus *et* seminudus *in arenam postulare.*

Deo, Patri, Filio, *et* Spiritui Sancto, *sit omnis laus, honor, et gloria in secula seculorum.* Amen.

Act. 20. 37. *Osculum.*

Gen 27.

Tintinnabulum aureum & malogranatum Tintinnabulum aureum & malogranatum fimbriis pallij per circuitum. Exod. 28. 34. Eph. 6.

* *Antiquit. Iudaic. l. 11. c. 8. Mr. Rob Sanderson. è Coll. Lincoln. Resp.*

ORATIO III.

INAVGVRALIS IN PROMOTIONE DOCTORVM Guiliel. Loe. Sim. Iucks. Fran. Gibbons. Edm. Iackson. Ric. Etkins. Tho. Otes.

Oxonii in Comitiis habita Anno 1618.

De Gog & Magog.

Apocalyps 20. verſ. 7, 8, 9.

7 *Et cùm conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas de carcere ſuo.*

8 *Et exibit & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog & Magog; & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris.*

9 *Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circumièrunt caſtra Sanctorum & Civitatem dilectam, & deſcendit ignis à Deo de Cœlo, & devoravit eos.*

Tertius jam recurrit annus (*Patres & Fratres*) quo pro majorum *more*, & meo qualicunque *miniſterio*, emittenda eſt nova *operariorum* claſſis in *vineam Domini*, Atque antehac primò *Teſtes*, deinde *Veſtes* ita Teſtibus adaptatas accepiſtis, ut facilè ex ornatu *Doctor* enoteſceret, & *Theologus* ex *vocali ingreſſu* in Sanctuarium. Non ingratus forſan ſequeretur deinceps de horum *graduum dignitate*, de *privilegiis*, de *proventibus*, de *priſcâ veneratione* diſcurſus; niſi *verba* de talibus *facere* in hiſce temporum ulceribus, eſſet penè *adulari*, aut planè *verba dare*. Quàm verò optarem ego dilectis hiſce *Filiis* perpetua *halcyonia!* pulvinaria *hujuſmodi* ubique *holoſerica!* applauſus ab aſtantibus ubivis benevolos! Sed video aliam ſortem à talibus

libus esse subeundam. Periclitantur *Christi Apostoli*, ut *oves* inter *Lupos*; & numquid *servus* major *Domino*? aut *Magistro discipulus*? Ita disponenda igitur est hodiè nostra velificatio, ut non priùs de *Insulis fortunatis*, quàm de *Scylla*, aut *Charybdi* cogitemus. Cumque incidimus tandem in *istas Syrtes*, quibus solutior *Satan* nullos non evomit *torrentes*, ad subversionem *parturientis fœminæ*; cùm immittat occultè *piratas*, qui sub *mentito* devotionis *vexillo*, simpliciores allidant ad scopulos, & inter se committant; ut *turbatas* istorum *classes*, Antichristiani *Myoparones* opportunius adoriantur; cùm non desint inter *Magnates Elymæ*; inter *opifices*, *Demetrii* & *Alexandri*; in foro, *Tertulli* & *Fœlices*; qui pleni omni *dolo* & παῤῥησίᾳ, aut *doctrinam* calumniis onerant; aut in *Doctores* impetum faciunt, in *titulos* declamant, detrahunt *privilegiis*, *vestimenta* distrahunt inter se, & de *tunicâ sortes mittunt*? cùm fatiscat jam *mundus* sub suâ *mole* & *senio*, suspectam habeat *pacem*, nullo certo fundamento nixam, tremat ad quosvis *susurros*, quia ex *præteritis* didicit de *futuris* aliquo modo præsagire: pretium (sicut mihi persuadeo) alicujus moræ esset (*Patres & Filii*) dispicere, quid *monstri* tegitur sub hâc ultimâ *silentis mundi* catastrophe, & quid parturiant omnia ista *auguria*, *suspiciones*, *vaticinia*, quæ *sagaciorum* animos ita tenent hodiè *solicitos*, ut sub *Agni vexillo* militantes, *inexspectatum* nihil exanimet; sed erecti ad quodvis *clasicum*, hostes alacriter antevertamus, cùm quales *futuri sint*, & *quò tendant* perspectum antea habeamus. Hoc autem ut fiat dilucidius, audiamus *dilectum discipulum*, ex sinu *Domini Salvatoris* ista referentem, *Apoc.* 20. 7. *Et cum consummati fuerint*, &c. Omissis hìc *solutione Satanæ*, & *mille annis* (quos, sive ordiamur à Domini *incarnatione*, & terminemus in *Silvestro secundo*, sive ab ejusdem *passione*, ut desinant in *Benedicto* 9°. sive ab *excidio Hierosolymitano*, & in *Gregorio* 7°. sive *Hildebrando*, sive à *Constantini Magni* imperio: (quæ receptior est sententia) & in *Bonifacio* 8°. sub *Turcarum* exortu, figatur periodus; non multùm à vero aberrabimus) Mihi satis erit hæc *tria* carptim delibâsse, & præsenti instituto accommodâsse: *Primùm*, *quinam futuri* sint isti *Gog* & *Magog*, Antesignani *exeuntium* & *seducentium* gentes in *quatuor angulos terræ*. Secundò, *Quales* ipsorum *commilitones*, quorum numerus est *sicut arena maris*. *Tertiò*, in *Quos*, & *quo successu*, copias tam infinitas ducunt & dirigunt: ut ita hi *Filii mei*, & de *hostibus* certi, & eorum *gregalibus*, alios domi *inter fratres* non quærant, sed in horum solummodo vultus, *arcum* & *nervos* dirigant, & *junctis* quasi *umbonibus* hos solummodò oppugnent, è quibus *destinata* tandem reportaturi sunt victoriæ *trophæa*.

2 Et ne longiùs abeam, Inter cætera *Scripturæ* δυσνόητα, quibus revocare voluit Deus *superbum* hominis *intellectum* à *fastidio*, (monente *Augustino*) cui facilè *investigatu* plerumque vilescunt; vix *involutius* occurrit *oraculum*, quàm de *Gog & Magog*. De illis enim bis *junctim* tantùm legimus, semel in *Testamento* vet. *Ezech.* cap. 38. & 39. iterum solummodò in hoc *commate*, quod jam præ manibus habetur. Utrobique ita dissentiunt *Authores*, ut difficilius penè sit ipsorum *Litigia de re*, quàm *rem ipsam* comprehendere. *Iesuita* (quibus solenne est *aliorum sententiis latas paginas* implere, ut ad tam *multiplicem lectionem* imperitiores stupeant) *decem* ad minimum hâc de re corradunt opiniones; has confundit *Alcasar* in hunc locum; *Bellarminus* lib. 3. de *Rom. Pont.* c. 17. distinctè proponit & discutit. Ego (ὡς ἐν τύπῳ) brevius (si fieri possit) sic contrahere

contrahere ſatagam. Quid ſignificant *Gog & Magog* non eodem ſenſu trâdunt *Iudæi & Chriſtiani*: *Iudæi* ſomniant *Gog pſeudo-Meſſiam* quendam futurum: *Magog* verò gentes quaſdam *Aquilonares* ultra *Taurum* montem, ab *Alexandro magno* recluſas, quæ in fine ſeculi ſub auſpiciis ducis *Gog* in civitatem ſanctam irrumpentes, à *Meſſia* (quem adhuc expectant) ſunt delendæ. Nec aliter fabulantur *Mahumetani* in *Alcorano*, *Azoara* 28. & 31. niſi quod de *Meſſia* & *Hieroſolymis* non habent quod pronuncient. *Chriſtiani* verò qui Meſſiam jamdudum veniſſe nôrunt, vel *Antiquiores* ſunt vel *Recentiores*. Ex *Antiquis*, alii *literæ* ſunt affixiores, alii contenti *myſterio*. Literam magis premunt, primò *Lactantius*, & qui cum illo lapſi ſunt *Chiliaſtæ*. Iſti autem poſt *millenarium* mundi *ſextum*, & *Antichriſtum* è medio ſublatum, in *ſeptimo ligationem Satanæ*, & *terrenum* Chriſti *imperium*, per 1000. *annos* in novâ *Hieruſalem* expectârunt. Quibus finitis erumpet rurſum *Satanas*, unà cùm *Gog & Magog*, et in Civitatis ſanctæ cadent obſidione. Quam *victoriam* excipiet *ſecunda* Sanctorum *Reſurrectio*, et optatiſſimus ad cœlum tranſitus. Utcunq; autem *ridicula*, et febricitantis alicujus inſomnium videatur hæc opinio; aſſertores nihilominùs invênit *Patres* penè *omnes* ante *Hieronymi* tempora. Unde colligat quiſpiam quàm *arundineo* ſit niti *baculo*, neglectis Scripturarum fontibus, *confractas* hujuſmodi *ciſternas* nimium in deliciis habere. Secunda ſententia eſt *Euſebij* l. 9. *Demonſt. Evang. demonſtr.* 3. ubi per *Gog*, *imperium Romanum*, intelligi contendit. Nec obſtat quod excipit *Bellarminus*, locum illum quo nititur *Num*: 24. à 72. eſſe corruptum; cùm in *Hebræo Agag* non *Gog* inveniatur; quia non tantùm ex *iſto loco*, ſed ulteriùs idem confirmat ex *Ezech.* 38. quæ quia vafrè ſupprimit *Bellarminus*, verba libet ſubjicere: Meminit (inquit) *Gog* etiam *Prophetæ Ezechiel*, *dum principem*, *Ros*, *Moſoch*, et *Thobel nominat*: *ubi per illud Ros*, *Romam* (*ut par eſt*) *civitatem deſignat*, *quandoquidem principatus & caput eâ voce apud Hebræos intelligitur*. Tertio, è *Gog*, *Ambroſius*, per nominis quandam affinitatem *Gothos* ſive *Getas* educit; qui in *illo*, quo vixit, *ſeculo*, Eccleſiam et *Romanos* miris cladibus afficiebant. Sed utrum hoc ſit verum (inquit *Hieronymus*) in fine prælii monſtrabitur. Quartam nonnullorum opinionem (quos non nominat) refert idem *Hieronymus*, in *Ezech*: 38. qui *Gog* pro *Diabolo*, *Magog* pro ipſius *Angelis* habuêre, et bellum hoc *geſſiſſe in cœlo*, cùm à *Michaele*, *Draco* indè erat, *deturbatus*: ut ita de re *præteritâ* et non *futurâ*, *celebris* hæc eſſet *prophetia*. Sed hoc ſcopum ipſum *Apocalypſis* penitùs evertit. Conſultiùs *Theodoretus*, *Ezechielis* de *Gog* et *Magog* vaticinium, ad bellum refert *Maccabæorum*; in quos *Alexandri* ſucceſſores (ſicut *Gog* et *Magog*) impetum fecerunt, et tandem *victi* ceſſerunt. Ita ferè *Patres* ſequentes *hiſtoriâ*; quam quia per omnia non quadrare obſervârunt, *Hieronymus* et *Auguſtinus*, et difficillimũ judicârunt, *aliquid aptiùs* in eo genere excogitare, ad *myſticos* ſe receperũt ſenſus: hìc, ut *Gog* (quod interpretatur *tectum*) *Hæreſiarchas* deſignaret; *Magog* illos, qui *Hæreſiarchis credunt*: Illi verò, *Gog* eſt ipſe *Diabolus*, Magog, *Antichriſtus*. Quibus quid *Recentiores*, ex *eventu* rerũ magis edocti, lucis contulerũt; ſupêreſt ut deincepsperpendãus.

3 Hic autẽ in iplo limine aliter *Pontificios*, aliter *Reformatos* affectos invenies. Inter *Pontificios*, *Scholaſticis* ferè omnes *Gloſſam* et *Proſperum* ſequuntur: qui per *Gog* hoſtem Eccleſiæ *occultum*, et ſubdolum, per *Magog* apertũ deſignari contendunt: unde non eſt, quòd noſtros reprehendam, qui ad *Antichriſtum* in Eccleſiâ, et *Antichriſtum* extra Eccleſiã iſta accommodant. Sed tantùm abeſt, ut *Ieſuita* hoc probent, ut inter ſeipſos, quod aſſerant, adhuc non inveniant. *Bellar*: ſuam ſententiã *tribus pronunciatis* complectitur. *Primò* (inquit)

Hieronym in Ezech. 38. Gala l. 5. c. 12. V. Eldad Danitum de Iudæis Claudi apud Genebrard. in Chronolog.

Inſt l. 7. cap. 24, 25, 26.

In Ezech. 38. De civit. Dei l. 20. c. 11.

De Rom. Pont. l. 3. c. 7.

(inquit) asserimus, *præliũ Gog* et *Magog* esse prælium *Antichristi* contra *Ecclesiam*. 2do. Dicimus, probabile admodũ esse, per *Gog* significari ipsum *Antichristum*, per *Magog* ejus exercitum, ex gente crudeli & barbarâ conflatum. *Tertiò* addit, probabile etiam esse, *Gog* dici à *Magog*, & non è converso; quia *Gog* est princeps gentis, quæ dicitur *Magog*. Sed animadvertit *Ribera* hæc inter se collidi, Nam si *Gog* significaret *Antichristum*, eo modo quo vult *Bellar:* & idem sit *Ezechielis*, & *Johannis* oraculum, (ut consentiunt *Jesuitæ*) tum post 45 dies ab interitu *Gog & Magog* mundus consũmaretur: nam is est *Bellarmini* calculus, l. 3. de Rom. Po. c. 17. *Constat* (inquit) *post Antichristi mortem non futuros nisi* 45 *dies, usq; ad finem mundi, ut ex Daniele* 12. *colligitur*. At extincto *Gog* et *Magog* sepẽt *menses* insumuntur apud *Ezechielem*, in sepeliendis *cadaveribus*, cap. 39. Septem deinde *anni* in comburendis *hastis, peltis*, & cæteris eorum *armis*. Nunquid hæc sequerentur (juxta *Bellarminum*) generalem mundi conflagrationem? Sed de septem *mensibus* & *sepulturâ*, excusare nititur *Ribera*, *Ezechielem* sic esse intelligendum, ac si dixisset, tot *essent corpora sepelienda, quot septimestri spacio vix ritè conderentur*; unde *potentiam* urget, non *actum*. Sed repugnat textus v. 13. *Sepelient* (inquit *Propheta*) non potentiâ sed actu *omnis populus*. De septennio verò occurrit *Bellarminus*, Prophetam non loqui *propriè*, sed *figuratè*. *Non vult* (inquit) *dicere* (quod reverâ dicit) *per septem annos comburenda esse illa arma*: sed *tam insignem cladem futuram, ut longissimo tempore sufficere possint hastæ, & clypei hominum occisorum ad ignem fovendum, si opus esset*. Tam verum est illud *Augustini*, *Procliviores sumus quærere potiùs, quid contra ea respondeamus, quæ nostro objiciuntur errori, quàm intendere quæ sunt salubria, ut careamus errore*. Restitit igitur hic *Bellarmino Ribera*, negatq; primò, *Gog Antichristum* significare, quòd *Cardinalis* asserit contenditque. Secundò, *incertam* prorsus esse mundi *consummationem*, ideoq; temerè ab eodẽ ad 45 dies post occasum *Gog & Magog* terminari. Nec ferendus postremò *Cardinalis Etymologista*, qui vocabulum (si *Grãmaticis* placeat) *Gog* à *Magog* derivaret: eodẽ siquidẽ criticismo, *Christum* ab *Antichristo*, & non è contra, arcesseret.

In Apoc: c: 20.

Cap. 39.

De Nat: & Grat: cap: 15.

4 Sed ut minutiis hujusmodi non inhæreamus, horsum ista tendunt omnia (*Auditores.*) Somniant Adversarii, *Antichristum* cum ingentibus copiis paulò ante *finem* mundi, è tribu *Dan* subitò emersurum; ipsius sequuturos castra septem *Reges*, inter quos *Gog* & *Magog Scytharum* & *Barbarorum* ducent agmina; hos quadriennii spacio *universum orbem* præcipuè *Christianum* esse subacturos: unde quemadmodum Judæi concludunt apud Galatinum lib. 5. de *Arcano* sermone c: 11. *Messiam* adhuc esse expectandum, quia *Gog* & *Magog* ab illo interficiendi (juxta *Ezechielis* Vaticinium) nusquam adhuc comparuerunt; sic inferunt *Papistæ*, *Elias* & *Henoch* è Paradiso succurrentes, *Papam* adhuc non *oppugnârunt*, et de *Gog* et *Magog* nulla est *suspicio*, ergò *Papa* non potest esse *Antichristus*, aut *Roma* ipsius *sedes*. Præscripti mihi cancelli non patiuntur, ut ista uberiùs explicem. Anile hoc *Tenebrionum* (quo se solantur) *figmentum*, facilè dissipabit, quæ jam succedit orthodoxa sententia. Ista autem utcunq; à variis variè sit proposita, non ita tamen dissentiunt, quin facilè reconcilientur. Neque enim *Centuriatores*, qui *Gog* et *Magog* statuunt regnum esse *Turcarum*, aut *Saracenicum*, *Bibliandro* et *Chytræo* adversantur (ut perperam colligit *Bellarminus*) qui prophetiam *Ezechielis* ad *Maccabæorum* tempora accommodant. Quis enim non animadvertit in *Prophetis*, præsertim vet. *Testamenti*, non tantùm *res* per *verba*, sed *futuros* etiam *eventus* per *antecedentes* prædici et adumbrari? Unde habetur talium Prophetiarum *duplex impletio*,

Aq: part: 1. q: 1. art: 10.

prima

prima in *typo*, altera in *antitypo*. Quare ut nil obstat quo minùs *parvulum cornu* apud *Danielem*, *Antiochum* designaret immediatè, & *Antiochus* esset typus *Antichristi*: ita cur prima irruptio *Gog* & *Magog* prædicta ab *Ezechiele*, & impleta *Maccabæorum* tempore ab *Alexandri* successoribus, non adumbraret nobis hunc *secundum* eorundem *incursum*? Quem propter *analogiam Iohannes*, eisdem penè verbis delineat; ac si dixisset, ut post liberationem à *captivitate Babylonica*, non defuerunt *Gog* & *Magog*, hoc est, hostes *occulti*, & *aperti*, qui usque ad *adventum primum Messiæ*, *Iudaicam* affixèrunt *Ecclesiam*: ita liberati tandem *Orthodoxi* à mystico *Babylonis* jugo, non *perpetuam* sibi polliceantur *tranquillitatem*, tametsi certa sit victoria. Ut enim nova *Babylon*, novus *Ægyptus*, nova *Sodoma*; Ita alter erit *Harmageddon*, alii *motus* à *Gog occidentali*, & *Magog orientali*, sub secundum ejusdem *Messiæ* adventum; ubi triumphabit *Agnus*, & *electi*; & *hostes* perpetuò peribunt. Sunt qui *Gog* & *Magog* in contextu *junctim* ad *Turcas* referunt, per *gentes* verò quas seducet *Satanas*, *Papistas* intelligunt. Sed verba sic connectuntur, ut *Gentes* istas esse *Gog & Magog* necessariò evincant. Non video igitur cur non obtineret recepta ista sententia, quam innuit *Augustinus* & *Hieronymus*; apertè tradunt *Prosper* & *Glossa*; non contradicunt *Scholastici*; probant alicubi *Centuriatores*, & sereniſſimus *Rex* noster in Paraphrasi, *Gog* & *Magog* duos *Monarchas* indigitare; alterum *Ecclesiasticum*, qui sub *religionis prætextu* maximè *Sanctos* vexabit; alterum *politicum* qui *apertâ vi* irruat; ut omnia sub pedibus conculcet. Illum autem *Papam*, hunc *Turcam* esse, quis non meritò suspicaretur? Cùm utrosque æquè à *Satana* seductos, æquè *ovili Christi* inhiare animadvertat; nisi fortè *primatum Papæ* hâc ex parte concederemus. At tum legendum esset (inquit *Bellarminus*) *Gag* & *Miggag*, non *Gog* & *Magog*, si hic Antichristum *occultum*, ille *Detectum* significaret. Quasi verò (ut rectè notat *Drusius*) insolens esset talis in *nominibus* mutatio; præsertim cùm hæc *Syriacam* potiùs *dialectum*, quàm *Hebraicam* sapiant. Adde quòd ut in ista ἀνεβάσια *Miggag* è *Gag*; sic in vindictam *Papisticæ idololatriæ*, emerserunt ab *Euphratis* ripis, antea vincti *Turcarum* Angeli; ut ita scelus scelere puniretur. Habemus igitur *utrumque cornu Satanici exercitûs*: expeditioris jam erit compendii, eorũ *gregales* (ut secundò proposui) limis quasi oculis intueri.

pareus & Brightman in Apoc. 20.

Apoc. 9.

5 *Exibit Satanas ut congreget eos ad prælium*] Infœlix *pecus* quod cogit talis *pastor*, qui nunquam congregat ad *pacem*, sed semper ad *prælium*! In *cælo* bellum indicit *Michaëli* & *Angelis*. Inde deturbatus, *mulierem persequitur*, & *flumen* egerit ut fluctibus illam absorbeat. Sed vix iste promptior ad *congregandum*, quàm *Gog* et *Magog* ad sequendum. Isti autem quæ socia adduxerunt agmina adversus *Dominum*, et adversus *Christum* ejus, tantò difficilius est explicatu, quantò parciùs Interpretes hîc conjecturas suas interposuerunt. Unde *obfirmatione vultûs* (ut notat *Hieronymus*) et multâ *consideratione opus est*, ut *quæ hic dicuntur nôsse possimus*. Atque *Magog* inter filios *Iaphet* invenimus, Gen. 10. A quo *Magogita* montis *Caucasi* et Mœotidis *paludis* accolæ (ut vult *Iosephus*) sive *Cappadoces*, *Armeni*, aut circa *Cælosyriam* incolæ, ut placet *Hieronymo*; ubi *Hieropolin* civitatem *Magog* à *Syris* appellari, testatur *Plinius* hist. nat. l. 5. cap. 23. Ista autem *Mahumetanos* satis nobis depingere videntur. Verũ de tecto *Gog*, tectiora sunt indicia. Unde divinandũ potiùs *qualis sit* hic ex cõitatu, quàm ex *certâ prosapiâ* deducendũ. Cõites illi auxiliares sunt apud *Ezechielem*, *Paras*, et *Chus*, et *Put*, *Gomor* et dõus *Togarma*: hoc est *Persa*, *Æthiopes*, *Libyes* ab *austro*, *Cymbri*

Apoc. 12.

in Ezech. 38.

Antiq. l. 1. c. 7.

& *Scythæ* ab *Aquilone.* Sed primipili ſtatuuntur *Meſech* & *Thubal.* Ita enim ſeparatim legimus de *Gog* omiſſo *Magog*, Ezech. 38. 3. *Ecce enim ego ad te Gog principem capitis Meſech & Thubal.* Atqui *Thubal* habent pro *Hiſpanis* inter plurimos antiquos *Hieronymus* & *Joſephus*: *Meſech* verò pro *Hetruſcis* ſive *Italis* inter Hebræos *Rabbi David*, & *Aben Ezra*, ex *Ioſepho Ben Gorion.* Sorbonicus quidam Doctor *Paulus Boudot Canonicus* & *Archidiaconus* in Eccleſiâ metropolitanâ *Cameracenſi*, ut *Archiepiſcopum Spalatenſem* deterreret à *luce Evangelicâ*, ad quam pro tempore *ſimulabat* ſe oculos cum *Reformatis* aperiiſſe; contendit *titulum Hebraicum*, Pſal. 79. שושנים על *pro lilijs*, deſignare *Galliam*, cujus *lilia* ſunt inſignia: Latinum verò, *in fine pro his quæ commutabuntur*] M. *Ant. de Dominis*, qui poſtremis hiſce temporibus *mutavit religionem.* Hinc *ſingularis Ferus* (de quo ibidem *Pſalmiſta*) eſt juxta iſtum *Canonicum*, *Calvinus.* Quod probabit è *Paraphraſi Chaldaicâ.* Eodem artificio *Cabbaliſtico*, *Meſech* patriam eſſe *Lutheri*, & *ſingularem ferum*, *Calvinum* ſignificare, & *Davidem*, de ipſius *ſchiſmate* conqueri, ex Pſalmo 120. colligit. Tam acutos invenit *Ariſtarchos* doctus *Tranſfuga*, qui opus ipſius de *Republicâ Eccleſiaſticâ*, *ventris cauſa elaboratum*, *obeliſcis catholicis* expungerent. Sed quid ſi aliquis, (ut rependeret vices) exercitum *Gog* ex *Italis* & *Hiſpanis*, in quos *ſæpe prematum* obtinet *Papa* conflatum eſſe contenderet? *Thubal* enim *Hiſpanos* deſignare, non *affirmant* tantùm veteres, ſed *Bellarminus* & *Greſerus* nominatiſſimi *Ieſuitæ*; quorum *commilitones* eſſe *Italos* ſive *Germanos* Meretricis poculo dementatos, eâdem facilitate colligitur. Sed non libet in rebus ſeriis pueriliter argutari. Illud omnes intelligant, tantam eſſe inter *Turcas* & *Papiſtas* in fidem orthodoxam *conſpirationem*, ut non mirabitur quiſpiam illos, utcunque inter ſe ſpecie diſſentientes, in unum exercitum coaleſcere. Siquidem eodem ferè tempore (annum circitur 607.) quo extulit caput *Mahumetes* ſub *Imperatore Heraclio*; primatum uſurpavit in omnes Epiſcopos *Bonifacius tertius.* Ut latrocinijs & impoſturis invaluit *Turciſmus*, ita et *Papiſmus.* Sufficiat in paucissimis guſtum tantùm præbere, in *exquiſitis ſupplicijs* infligendis, Cedunt *Turcici* carnifices *Inquiſitioni Hiſpanicæ.* *Polygamiam* inter *Turcas*, promiſcuæ *Lupanarium* et *concubinatus* fœditati inter *Papiſtas*, quis non præferat? *Peregrinationes*, *miracula*, *oblationes* pro defunctis, non majori ſunt apud *Turcas* pretio, quam apud *primarios Pontificios.* De horum *Achmate* nuper defuncto, quid aliud pronunciaret *Chriſtianus*, quam quod haud ita pridem aſſerit *Bellarminus* de *Sixto* 5. *Papa Occidentali*, *Quantum capio*, *quantum ſapio*, *quantum intelligo deſcendit ad infernum.* Conferas poſtremò *Alcoranum* cum *Legendis*, Pratis et *Poſtillis*; *Viſieros* et *Beglerbegos* cum *Cardinalibus* et *Legatis à latere*; *Spahioglanos* cum *Ieſuitis*; *Ianizarios* cum *Fraterculis*, et reliquis ejuſdem putredinis *Locuſtis*; *Aſſaſſinos* et *Mutos* cum *Faukeſijs* et *Ravilliacis*; et hæſitabis an ab his vel illis, *diriim* immineat Eccleſiæ *periculum.* Niſi Forſan ex hâc parte *Turcæ* magis ſint probandi, quòd *imagines* averſentur, nec citò *principibus ſuis* manus inferant *parricidales.* Dum Pontificii è contrà, meriti ducant loco, quovis ſcelere *unctos Domini* è medio tollere: quoties *Iovi Capitolino* libebit intonare. Atque iſti quidem ut *Samſonis Vulpes*, licet averſis ſint capitibus; *junctis* tamen in eâdem flammâ *caudis*; non in uno latitant *equo Trojano*, ſed *Aſcendunt in terra latitudinem*, non rari *palantes*, ſed conglobato *exercitu* irruentes, cujus *numerus eſt ſicut arena maris*] nec aliò dirigunt copias (quicquid crepant hi

Ver. 14.

Ver. 15.

hi se esse *Catholicos*, isti se esse *Musulmannos*, id est, rectè credentes) nisi in *Thebe* sive *dilectam* civitatem Domini; de quâ non opus est ut *tertiò* in *loco* multa edisseram.

6 *Ascenderunt igitur super latitudinem terræ & circumiérunt castra Sanctorum & urbem illam dilectam.*] At ista omnia præterita jamdudum esse & non futura, contenderet quispiam; quia vidimus ab *Hildebrandi* aut saltem à *Bonifacii* 8. tempore, quicquid solutus *Satanas*, aut inferre potuit damni, aut *Ecclesiæ* pati. Sensimus *Locustarum Occidentalium Leoninos dentes, equorum & equitum, orientalium sulphur & fumos: Ranarum* ex ore *Bestiæ* egredientium *coaxationes Diabolicas.* Erexit jamdudum vexillum *Agnus* è monte *Sion*, cecidit *Babilon*, revocata est *Mulier* è Deserto: quorsum igitur injicitur de ulteriori adhuc discrimine, suspitio? Annon omnia hodie inter *Reformatos* & *Pontificios*, *Pontificios* & *Turcas*, inter *Gog & Magog* composita et sedata? Ita securus olim *Godolias* deferentes *Ismaelis* proditiones audire noluit. *Falsum est* (inquit *quod loquimini de Ismaele.* Sed obtruncatus posteà nefariè, sub amicitiæ specie, reliquit posteris documentum, quàm temere illis qui dissentiunt à nobis in *fide*, *fides* adhibeatur. Non igitur nos effascinet quispiam (*P.* et *F.*) deauratis *titulis* aut *lenociniis*, vel lactet *spe inani*, ac si *procella*, hanc (quâ fruimur) non comitaretur *malaciam.*

Creditis avectos hostes, aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaûm?

Sunt ista *philtra meretricis*, quæ soporem inducunt. Certo apud vos statuite, quamdiù *extinctæ* non jacent, sed vel sensim fumant, *cauda istorum titionum Gog & Magog*, expectandum semper esse incendium. In tam *distracto* et *suspecto* rerum statu, quæris tu cum *Rege Ioram*, Estne pax? *Respondeo* cùm *Iehu*, *quæ pax*, cùm *fornicationis Iezabelis Romanæ* et *veneficia* ejus inter nos tam multa adhuc vigent? *Quæ pax* cùm domi *Collybistæ* et *Trapezitæ*, inter *altaria* Domini res sacras sacrilegè nundinantur? *Quæ pax*, cùm *Locustæ*, et *Ranæ*, *Iesuitica*, non ulteriùs latitant in angulis, sed liberè, pro libitu huc & illuc vagantur, et limina non tantum terunt, sed ingrediuntur Magnatum Anaclinteria? Quæ pax in torpente *Clero*, tumescente *populo*, luxuriante *scholâ*, molientibus *Gog* et *Magog* extremos impetus? Nomen non dedit *Agno*, qui arma hîc non expedit, et socios non excitat, ut unitis viribus, in ultimo hoc actu et fatali *Armageddon*, contra tales hostes nervos intenderent. *Academia* Mater (ut videtis *filios* suos, non ut olim *Thetis Achillem*) subducit. Ecce enim *nova Ducum manus*, quæ sponte ad tantum discrimen *capita* et *pectora* objiciunt. Hos autem ne in progressu *deterreant*, et *cornua bestiarum*, et ipso penè sono *tremenda nomina*, *armandi* sunt à me paulò diligentius, ut et socii *agnoscant* eos ex *insignibus*; et *hostes* trepident ad *nota* victoriæ *trophæa.* *Primò igitur in militiæ hujus auspicatius authoramentum, accipite (Dilecti Filij) hunc* annulum circularem & aureum. Circulus *ostendit* labores vestros *in* orbem *indies redire*; metallum *quod igne non* consumitur, *sed potius* purgatur, *inculcare vobis debet* auream *istam* integritatem, *quam* reficit, *non* diminuit, *afflictionis* fornax, dilatat *non* dividit *contundentium* malleus. *Vberiùs hoc vobis explicabit*

Apoc. 9. lib. v. 17. Apoc. 16.

Apoc. 14.

Jer. 40.

Annulus.

Biblia

cabit liber hic, *quem* ſecundò *vobis trado, ut* præcipuum *cœleſtis Imperatoris* diploma. *Quid nugantur nonnulli de* libro bellorum Domini, *Num.21.14. ac ſi aliqua pars* Canonis *eſſet amiſſa? Hîc (inquam) in hiſce* Faſtis Nomadicis, *comprehenduntur omnia, quæ aut antiquitùs moliti ſunt* hoſtes *in* Eccleſia, *aut in poſterum ab* Eccleſiâ *ſunt expectanda. Sicut fecit* Dominus *in* Mari rubro *& in* Torrentibus Arnon, ita unicam ſuum è cornibus unicornium ſemper eripiet. *Gemuit illa ſub* Pharaone, *& evaſit; abducta erat à* Nebuchadnezzar, *& redijt; attrivit eam* Antiochi Epiphanis *& ſociorum* rabies, *major tamen in adventu* Meſsiæ, *emicuit gloria* ſecundi Templi, *quàm* primi. *O quàm conſultum vobis eſſet* (dilecti Filii) *ex hoc* Torrente *lapides limpidiſsimos ſeligere, quos in frontem* Gog *&* Magog (Davidis *ſucceſſu*) *infigatis. Aderint vobis tubicines* Eſaias, Ieremias, *& omnes* Prophetæ *ad* claſsicum *auſpicatiſsimum, canendum:* ſonus Apoſtolorum *qui exivit in omnes terras,* clamores *veſtros* terrificos *efficiet:* Pauli *pugna cum* beſtiis *more hominum, eventum congreſſus vobis ſimilem confirmabit. Et ne* nudato capite *temerè ictus ſubeatis, ſit* pileum *hoc in* galeæ ſymbolum, *quo non* tectiores *tantùm, ſed* liberiores *in arenam deſcendatis.* Gog *&* Magog (*ut accepiſtis*) *non in* uno *hærent* Territorio: *exeunt ut ſeducant* gentes *quæ ſunt in* quatuor angulis terræ. *Ad eaſdem oras vos dirigat* pilei *hujus veſtri* quadrati *forma, à quacunque terræ* plagâ, *quocunque ſub* axe *periculum emineat. Fili* hominis faciem tuam obfirma contra Gog & Magog. *Vtque expeditiores ſitis ad* ſagittarium *illum comitandum, qui* inſidens equo albo, *exivit* vincens *ut* vinceret, Ocreis *huc inſtructi veniſtis, quibus victoriæ* gloria, *Ducis* præſtantia, *hoſtium* conatus, *vincentium* Anathemata, *acclamantium* applauſus *adderent* (*quæ hîc non invenio*) calcaria. *Nec retardet impetum hoſtium* multitudo, *vel deterreat veſtra* paucitas; *non enim hîc agitur* veſtra *tantùm* ſalus, *ſed* Domini exercituum *gloria. Quare ſi terrena omnia deficerent, deſcendet è* cœlo ignis (*ut pollicetur* textus) & hoſtes omnes devorabit. *Vobis ſolatio erit in* Polyandrio, *ſive in* Hamon Gog, (*ut prædixit Ezechiel*) *ſepelire corpora; & ex* cæſorum haſtis *& ſpolijs* ſeptennalem focum *inſtruere. Erectos igitur tam immotâ fiduciâ, quid aliud reſtat niſi ut* pacis oſculo, *ad* prælium *vos dimittam? væ* (*inquiunt* Iudæi) illi qui filius vini eſt, & degenerat *in acetum. Habetur in* Chronicis *noſtris* (*ſed quàm verè, fides ſit penes* Authores) Corineum noſtrum

Num. 21.

1 Cor. 15.

pileum.

Ezech. 38. 2.

Apoc. 6. 2.

Ocreæ.

Apoc. 20. 9.

Cap. 39

noſtrum Cornubienſem Bruti *comitem palæſtrâ viciſſe* Gigantem *quendam, è priſcis hujus regni incolis nomine* Gogmagog, *illumque è ſcopulis* Doroborniæ, *in mare præcipitâſſe. Fabula ſi ſit,* ὄνυσθον *ſortiatur, in veſtris* conatibus; *ne ætas* parentum pejor avis, *obſervetur nos* tuliſſe majoribus *tantis prorſus indignos; ecce* Gogmagog *alter (licet umbratilis) vos haud aliter provocat in hoc circo ad luctam; unus omnes, fretus* giganteâ *penè* mole. *Nec metuit propinquos* ſcopulos, *aut* exercitatiores *veſtros* lacertos. *Oſtendite igitur vos non fruſtra* panopliam *hanc modò induiſſe, non in lumbifragium* hujus, *qui inducias ſpondet, & citò vobiſcum rediturus eſt in gratiam; ſed in* ſpecimen *quid acturi eſtis cum illis* hoſtibus, *qui cum* Gog & Magog Apocalyptico arma *veſtra* decretoria *in poſterum ſunt experturi.*

Reſp. M. Tho Marler Sa. Th Bac. haud vulgaris ſtaturæ.

Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, *ſit omnis laus, honor, & gloria, in ſecula ſeculorum,* AMEN.

ORAT. IV.

ORATIO IV.

INAVGVRALIS IN PROMOTIONE DOCTORVM Rog. Bates. Hen. Hooke. Tho. Clifford. Sam. Fell. Thomæ. Iles. Evan. Vaughan. Rich. Ashley. Rich. Parker. Jo. Wilson. Hen. Watkins. Gvil. Dolben. Jo. Brigenden. Rich. Clvet. Rob. Pinke. Gvil. Smith. Tho. Winyffe.

Oxonii in Comitiis habita Anno 1619.

De Libro Vitæ.

Apocalyps 13. vers. 8.

8 *Adorabunt eam omnes incolæ terræ, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni.*

QUartâ jam mihi recurrit vice (*P. & F.*) hic creandi *Doctoris* labor anniversarius. Ita *generatio transit, & alia supervenit*, nec sterilescit, licèt senescat, *Mater Academia*. Vidimus autem superiori anno *Gog* & *Magog* cum numeroso satellitio; contra *Testes vestitos*, *primi* & *secundi* anni, *loricatos* stantes in acie; Nostros autem è regione *oppositos*, ut *Israëlitas* olim in *Syros*, 1 *Reg.* 20. tanquam *sparsos greges caprarum*. Unde deplorata esset tam paucorum *salus*, nisi *Agnus* è monte *Sion* vexillum *salutare* ostenderet. Hic autem *percussos* excitat, *sparsos* recolligit, *inclinatam* instaurat *aciem*; ut certò tandem triumphent. Et quoniam non tantùm *vi*, sed *astu* etiam grassantur *hostes*, & subdolè nostris castris immiscent *emissarios*, qui captâ quavis ansâ *à tergo* adoriantur: cum lateant etiam fortassè inter nos, non *calones* tantùm, sed *duces* meticulosi, & perfidi, qui quavis oblatâ *sportulâ perduelliones* evaderent; non inconsultum erit (ut opinor) priusquam ulteriùs moveamus pedem; *censum* aliquem inire, quo pateat inter *constantes* & *tergiversaturos* distinctio. Neque enim tutum est talibus inniti, qui, ut *Ægypti* baculus arundineus, *penetrabunt* potiùs quàm *firmabunt* manus. Nec agnus illos pro suis agnoscet, quorum in *Libro suo* non retulerit nomina. Maximi igitur nostrûm interest hunc

Eccles. 1.

Apoc. 14.

hunc *Librum Agni* conſulere; ne quos *conſcriptos* putamus ad hanc ſacram militiam; *proſcriptos* tandem non mediocri noſtro cum *damno* experiamur. Quodnam autem *Academicis* acceptius poteſt eſſe *argumentum*, quàm de *Faſtis*, *libris*, & *voluminibus* audire? Non talibus qui proſtant venales *quibuſvis nundinis*; ſed qui *manuſcripti* penitiùs reconduntur in *Doctoris* ſupremi *Bibliotheca*. Neque enim æquum eſt, ut qui *vitam libris* impendunt, *Librum vitæ* ignorarent. Nec confidenter *militabunt* ii, qui neſciunt quo auctoramento aſtringuntur ad *militiam*. Et quoniam qui ſic in diverſa abeunt, ex cultu præcipuè diſtinguuntur; nec pateat (ut in *Gideonis* militibus) ex diverſo *bibendi* modo, ſed *cæleſti* quodam *Protocollo* diſcrimen, pretium eſſet operæ fructuoſiſſimum, quodnam ſit illud *Scriptum*, & ubi lateat, inquirere, & quibus mediis ad illius notitiam perveniamus. Hoc autem quia fieri non poteſt *humano* aliquo *conſilio*, niſi adſit *cæleſtis Apocriſarii* ſublimior manuductio; attendamus illud *Johannis Apocalyp.* 13. 8. *Itaque adorabunt eam (ſcilicet Beſtiam) omnes incolæ terræ quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni.* Quem locum *Auguſtinus* in *Pſal.* 68. brevibus ſic enarrat: *Conſentient illi omnes, nempe Antichriſto, qui non ſunt ſcripti in libro vitæ; proinde ſine dubitatione non erunt conſenſuri qui ſcripti ſunt.* Ecce *maceriem* quaſi *intergerinam* inter *Oves* & *Hœdos*, & columnam *nubis* & *ignis* inter *Iſraëlitas* & *Ægyptios*. Adorabunt *Hi*, non adorabunt *Iſti*, inſcribentur *Hi* in *Libro vitæ* Agni, dum cæteris ex Urna *Satanæ* calculus prodeat condemnatorius.

2 Nec *moris eſt*, nec convenit *meo inſtituto*, concionis in morem iſta accuratiùs diſcutere. Sufficiat *igitur* hîc carptim obſervaſſe, poſt abactam *mulierem* in *ſolitudinem* à *Dracone*, ut conſtat ex ſuperiore capite, hoc eſt, poſt *diſſipatam* à Satanâ *Eccleſiam*, & in ſummas redactam anguſtias; *duplicem* deinde ad prædam aſcendiſſe *beſtiam*: primam è *Mari*, alteram è *Terrâ*; quæ juxta optimos interpretes non *duos* nobis adumbrant *Antichriſtos*, ſed *unum* ſolummodo, *ortu*, *habitu*, *poteſtate* duplicem. Prodit *Bonifacius* 8. in ſuo *Iubilæo*, uno die accinctus *gladio*, & *paludamento Imperatorio*; altero *clave* & ornatu *Pontificio*; & *ecce* (inquit) *duo gladii hîc*; & *ecce* (dicant fideles) *duæ beſtiæ hîc*; quæ biformi *enſifero* & *clagivero*, aptè accommodantur. Reputet autem hîc unuſquiſque *miſerrimam* ſponſæ *ſortem*, & comitum conſternationem, cum hujuſmodi monſtra ſub pietatis prætextu in *templo Domini* poſuiſſent cubilia. Cui enim terrorem non incuterent, tot *diademata*, *cornua*, & tantæ à *Draconis* potentia & throno, derivatæ prærogativæ? Quis non obſtupeſceret ad *vulnus* uni capiti *impactum*, tam facili cicatrice obductum, & ſanatum? Tot blaſphemias in ipſum *Deum*, in *tabernaculum*, in cœli *incolas* impunitas & inultas? Tot in *Sanctos* victorias? Tam latum in omnem *tribum*, *linguam*, & gentem, imperium? Idque tanto *ſucceſſu*, tot *ſucceſſoribus*, per tot *menſium* & ſeculorum *decurſum*? Suſpicionem profectò moverent, *Agnum* ſuæ ſponſæ *repudium* tandem miſiſſe, & loco *beſtiæ* ceſiſſe: ut omnes illam ſequerentur. Vidiſſes hîc *ſtellas* ipſas è ſuis ſphæris deturbatas; ut olim *Sol* & *Luna* in *Ioſephi inſomnio*, & ad beſtiæ ſcabellum proſtratas. Vidiſſes *Reges terræ*, ejuſdem poculo *inebriatos*; ſupplices depoſitis *coronis* ejus limen *terere*, *tenere*, pedes *oſculari*, & eidem *colla* denudata ſubjicere. Reſiliunt nihilominùs hîc qui *Agno* dediſſent nomina. Illi verò *Diademata* ne hili æſtimant; *cornua* non timent; blaſphemam *grandiloquentiam*, ſtupendum *imperium*, ut tyrannidem, & diabolicas impoſturas, inſectantur. Et licèt

Apoc. 12.

Apoc. 13.

Gen. 37.

admirans (ut habet textus) *Universa terra*, sequuta sit *bestiam*, & adoravit *Draconem*, qui dedit potestatem *bestiæ*, & adorârunt bestiam, dicentes: *Quis similis est bestiæ? Quis poterit pugnare cum ea?* Reclamant isti animosè, *Agnus vincet bestiam*; nos sub ipsius vexillo *pugnabimus cum eo*. Nam adorabunt eum solummodo, non cœli, sed terræ incolæ, quos Agnus in *suo Libro* non scripsit. De quo libro, dùm rejecta *Scholasticorum* crambe ad 1am part. *Aquinatis*, q. 24a. hîc duo liberiùs percurram; *Primum*, *quotsit & quotuplex iste liber vitæ*; *Secundum*, *Quinam in eo scribuntur, & qualia inde consequuntur* privilegia; suppeditabit (ut spero) *candor* vester & *attentio*, ut gratâ antevertam celeritate (quæ delassatos facilè occupat) ex prolixitate nauseam.

3 Liber igitur *Agni & vitæ*, utcunq; sanioribus Theologis eodem sensu legantur, placuit tamen *Sixto Senensi*, minutiùs ista distinguere, & volumen unum in *quinque* quasi tomos distribuere. *Primus* est ספר חיים sive *prædestinatorum catalogus*, de quo *Daniel*, *Salvabitur omnis populus qui inventus fuerit scriptus in libro*; reliquos autem quorum nomina scripta non sunt in *Libro vitæ* à jacto mundi fundamento, *mors* secunda & *stagnum* ignis, *Miriones bestiæ* & *Mirabularios* deglutient, & obruent. *Hieronymus* inter librum *viventium*, & *Iustorum*, nescio quid speculatur discriminis; ut *Liber* viventium *Testamenti veteris*, liber Justorum *Testamenti novi* seorsim complecteretur *fœdus*. Sed hujusmodi de libris *subtilitates*, librorum carent *textu authentico*, unde confirmentur. Secundus est *Liber mandatorum Dei* κατ' ἐξοχὴν, *Scriptura* dictus & *Biblia*, qui titulum *Libri vitæ* meritò gerat in frontispicio; quia ab ejus circumferentia ductæ omnes lineæ, in *ipso* qui est *vitæ centrum*, junctim & punctim coëunt. Tertius, ex *Sixti editione* Tomus est, περὶ τοῦ ξύλου ζωῆς τῆς ἀρίστης, de quo hic agitur, isto titulo insignitus. Non quod sit *Liber Agni* ab ipso descriptus, sed quod ipse *Agnus* sit *Liber* ad normam vitæ propositus. Nam *occisus* erat in *Abel*, irrisus in *Noah*, ejectus in *Abraham*, vexatus in *Iacob*, venditus in *Ioseph*, exul factus in *Mose*. Ideo illatas suis injurias, appellat Apostolus Christi *improperium*; quia in omnibus istis *typi*, & *facti*, quomodo *vita* nostra sit instituenda, tanquam in *Libro vitæ* specimen exhibetur. Quartus liber est *Iudicij Registrum*, de quo exponit *Augustinus* Illud quod de *Libris qui aperti sunt*, & de *alio Libro* qui est *Liber vitæ* & cap. 20°. hîc subjicitur. Libri (inquit) *quos priori loco posuit, intelligendi sunt sancti & veteris & novi Testamenti*, juxta *quorum Canonem Deus in* fine mundi *sententiam est laturus*. Liber *postea aperiendus est propriæ cujusque conscientiæ*, quæ *testium mille* juratorum vicem supplebit. Ergo unus non erit talis *Liber* omnium, sed singuli singulorum; quos nullius capiet *Bibliotheca* nisi illius, qui infinitâ pollet sapientiâ. Librum vitæ *quintum* & ultimum appellat idem author *Librum vitæ æternæ*, in quo quicquid in libro 1° *prædestinationis* promittitur, in 2do *Scriptura* revelatur, in 3° *Agni* exercetur, in 4to *Iudicij* determinatur, fine ulteriore morâ complementum accipit. De hoc *Augustinus* in tractatu de *Triplici habitaculo*, cap. 4. In illâ cœlesti urbe, *cibus* & *potus* omnium erit *visio Christi*, & assidua (ut ita dicam) *Libri vitæ* lectio. *Ibi* manifesta erit *ratio*, cùr *hic electus est*, & *ille reprobatur*: cur hic in *regnum assumptus*, & ille in servitutem *redactus*; *cur alius in utero moritur*, *alius in infantiâ*, alius in *inventute*, alius in *senectute*; cur alius *pauper*, & alius *dives*, cur *filius* ✠ *dulcera* baptizatur, & filius *legitima conjugis ante baptismum moritur*; cur qui *bene incipit* vivere, aliquando malè *finit*; & qui *male incipit*, sæpè benè finit. O si non *anteverterem*, vel non *perverterent*

Biblioth. sanct. lib. 2. Pial 69. Cap. 12. 1.

Apoc. 17.

ὀνειδισμὸς τοῦ χριστοῦ. Heb. 11.

De Civ. Dei, lib. 20.

terent hujus *Libri* doctrinam *præcocia* nonnulla noſtri ſeculi *ingenia*, ſed modeſtè *revelatis* acquieſcerent, donec gradatim & ſuo tempore, ad hæc ſublimiora promoveantur; Quærerent tum potiùs ex *Libro mandatorum*, quid ipſis eſſet *faciendum*, quàm *rixas* excitarent non neceſſarias de *æternis* Dei *decretis*; ac ſi ipſi eſſent *ipſius conſiliarij*, & *tyrannicum* eſſet quodcunque, de quo ipſorum *vertigini* ſtatim liquida non conſtet ratio.

4 Habuiſtis hîc *vitæ Pentateuchum*, ex ſacris *literis*, & *Patribus* coagmentatum. Appendicum loco adjiciuntur ex iiſdem fontibus, *duo* alia *volumina* nigro *Theta* inſignita, ad terrorem *legentium*. Primum eſt מגלת ספר, *Ezechielis* 2, quod 72 eſt κεφαλὶς βιβλὶς *Hieronymo* Liber *involutus*; ſic dictus à forma complicatili; qualis extat apud nos in *archivis Bibliothecæ Bodleianæ*, *Megillah Heſter Hebraicè manuſcriptus*. Alterum eſt מגלה עפה *volumen volans*, adverſus *Fures* & *perjuros Zachariæ* 5to. δρέπανον reddiderunt *Aquila* & *Theodotion*, δρέπανον πετόμενον, *falcem volantem* 72, *Rotulam* vocant *Barbari*. Sed iſta omnia concinniùs compinguntur à noſtris *Reformatis*, qui licet videantur, iſtos *Tomos* ad pauciores contrahere, & in minutiorem *formam* redigere; aliquid tamen addunt, nec omittunt quicquam, ſic ut *auctior* cenſeatur jure & *emaculatior* hæc recentiorum editio. Nam quis non deſideraret in præcedentibus apud *Senenſem*, *Providentiæ volumen ampliſſimum?* De quo *Pſalmiſta*, in *Libro tuo deſcripta ſunt omnia mea membra*. Pſal. 139. Jam verò ut *Liber gloriæ*, & *Agni*, à *Prædeſtinationis volumine*, titulo tantùm diſcrepant: ſic *Liber Conſcientiæ* & *Mandatorum*, *Megillah* etiam *Involutum* & *volans*, commodè referuntur ad *Librum Judicij*, ut ejuſdem *diverſi tractatus*. Unde emergit tandem triplex vitæ Liber. *Providentiæ*, omnium creaturarum *cauſas*, *curſus*, *effectus*, *eventus* complectens. *Prædeſtinationis*, ſub quo Liber *Agni* & *Gloriæ*. *Judicii*, qui *bipartitus* eſt; *Mandatorum*, & *Conſcientiæ*, Nam juxta legem ſcriptam expectanda eſt *Judicis* ſententia; ad *excuſationem*, vel ad pœnam teſtimonium reddente *Conſcientiâ*. Plurima hîc annecti poſſunt, quæ *ſubtiliter* potiùs quàm *utiliter* à variis ingeruntur. Concludit *Abulenſis* in 32. Exodi, poſſe *eundem* in duobus libris, *vitæ ſc.* & *mortis* eodem tempore inſcribi; & nil obſtare, cur aliquis in *eodem libro* bis non ſcribatur, intùs ſecundùm *æternam prædeſtinationem*, foris quoad *præſentem juſtitiam*. Sed quis *Abulenſi* conceſſerit contra ſuum *Aquinatem*, mortis aliquem *librum*, in quo impii referrentur, cum moris ſit non *rejectos*, ſed *electos*, in numerato habere? Nec ſolidiùs tinnit illud de *duplici* ejuſdem in *eodem libro* ſcriptione. Quis enim feret de Dei *mutabilitate* tam graphicas & diſcinctas *ineptias?* Semel tantùm loquutus eſt *Deus*, & *ſcriptum* tam inconſtantèr iterabit? Homo dixit, quod *ſcripſi*, *ſcripſi*, & Deus corriget aut mutabit ſua *autographa?* Videtis igitur quàm extra chorum ſaltant *utrumnoſi* hujuſmodi *Quæſtionarii*, dum *tropos* juxta *literam*, literam per tropi *umbram* importuniùs exponerent. Nam per *Agni librum*, nihil aliud colligeret ſyncerus interpres, quam *conſtantiſſimam Domini* de ſuis ſalvandis *ſententiam*; illuſtratam ἀλληγορικῶς, per libri *Allegoriam*; ut ex praxi noſtra in iis memoriâ tenendis, quæ nolumus excidere concludemus, *Agnum* illorum, quos in *librum ſuum* retulit, nuquam futurum eſſe oblitum. Rom. 2.

5 Hinc quanta nobis obveniunt *privilegia*, ſupereſt (quod 2do. propoſui) ut adjiciam. Adumbrat hæc (ἀλληγορικῶς) Pſalmiſta, pſ. 15. *Domine*

quis habitabit in Tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Reſpondet idem qui interrogat; *Qui integer, qui verax*, qui humilis, immunis à *maledicentia, livore, avaritia:* Atque hoc (inquit) *qui facit in æternum non movebitur.* Sed labefactare videtur hanc anchoram illud *Moſis votum*, quo petit ut ex *Libro vitæ* deleatur Exod. 32. Et Apoſtoli *deſiderium*, ut *anathema* fieret pro *fratribus* ad Rom. 9. Unde varii variè ſunt conati hunc nodum ſolvere. *Hieronymus* utrumque reſtringit ad *mortem corpoream*, ac ſi non damno graviori ſalutem ſuorum redimiſſent. Nec multùm diſſentit *Euthymius*. Sed *Cajetanus*, & *Solomon Iarchi*, hoc nimium eſſe arbitrantur, ideoque non Librum *æternæ vitæ*, ſed *legis, vocationis*, ſive *principatus* à *Moſe* intellectum volunt; ac ſi talis eſſet ſenſus: Aut *ignoſcas* hiſce meis *fratribus*; aut *de meo principatu* in *libro legis nuſquam in poſterum fiat mentio.* Mallem enim quàm *hic populus periret*, rerum *à me geſtarum obliteretur memoria*. *Bernardus, Lyra*, & *Abulenſis*, ad *extaticos* hîc recurrunt *affectus*, in quibus *zelum* potiùs, quam *factum* probant. *Hugo Cardinalis* & *Aquinas* non agnoſcunt hic alium librum, præter illum (cujus antea memini) *præſentis juſtitiæ*. *Auguſtinus* & *Rupertus* (quibus adhæret *Gregorius* de *Valentia*) *bicorne* in ſermone Moſis obſervant *dilemma*, quo ſcrupulum exemptum autumant. Aut dimitte populo hanc noxam, aut *dele me de libro tuo*, ſed *non delebis me de libro tuo*, in quo me *indelibili charactere conſcripſiſti. Dimitte igitur iis hanc noxam.* Sed *Chryſoſtomo* iſta dilutiora videntur, quàm quæ tàm *flagranti charitati*, & heroico *affectui* competerent. Contendit igitur tàm *Apoſtolum* quàm *Moſen*, Dei gloriam in *Judæorum* rejectione (ut illi arbitrabantur) periclitantem, tam indignantèr tuliſſe; ut *ſeipſos* æterno potiùs exitio *devoverent*, quàm talis blaſphemandi *anſa* hoſtibus *Eccleſiæ* concederetur. Explicant hoc noſtri dilucidiùs, inter *amicitiam Chriſti*, & *fructum ejus*, æternam *beatitudinem* diſtinguentes. *Amicitiam* inter ipſos & Deum non dirimendam aliquo modo poſtulârunt (ſicut rectè obſervat *Zanchius*) ſiquidem illud non poteſt contingere abſque *peccati interventu*; illud autem optare, non tam *Deo* eſſet ingratum, quàm *petentibus* impium. *Fructum* ergo hujus *amicitiæ* ſe libentiùs amiſſuros ſignificârunt, & optatiſſimo *Dei* conſpectu in æternum potiùs carituros, quàm ut *Comædias* componerent *Incircumciſi* ex *Judæorum Tragœdia*, & iram Dei in populo extinguendo, ad calumniam raperent. In ſummâ, omnes conditionem [*ſi fieri poſſit*] tacitè in talibus votis complicatam eſſe inſinuant. Unde petitio non infert *facti poſſibilitatem*, ſed petentium exprimit *ardorem* heroicum, qui quovis periculo redimeret *Dei gloriam*, & fratrum *ſalutem*. Non metuendum igitur, ne inſcriptus in *Agni Libro* inde deleretur, ſed imitandus illorum *zelus & charitas*, ut pluris in optatis noſtris ſit apud nos *Dei gloria*, quàm vel *ſummum* nobis *conceſſum* in Eccleſia *privilegium*. Privilegium autem hoc tam *ſublime*, æſtimare tantùm dedicerunt ii, quibus dignatur *Agnus* aperire *Librum*, & *ſolvere ejus ſignacula*. Cum reverſi fuiſſent 70 Diſcipuli, Luc. 10. *gaudentes & gratulantes* quod *dæmonia illis ſuerunt ſubjecta*, *Salvator* monet hoc non tanti eſſe; ſed *gaudete* (inquit) potiùs quòd *nomina* veſtra *ſcripta ſunt in cœlis*. Tales profitetur Deus ipſe *ſe ex nomine noviſſe*. Hi ut *columnæ*, ut *olivæ*, ut fixa *candelabra* ſemper perſtant immoti in conſpectu Dei. Inter *equos, tubas, phialas, tonitrua* quæcunque aut *terræ motus*, hi conſcripti milites *ſtatione* non dejiciuntur. Non datur ad vindictam accinctis, *terram*, vel *mare* lædere, priuſquam hi ad certam ſalutem *obſignentur*. *Dracone* prædæ inhiante & *egere-*

Tom. 7. tract. de lib. vitæ.

Luc. 10.

Exod. 33. Apoc. 11.

Apoc. 7.

nte

rente fluctus, ut μεταμορφῶται faceret *mulierem*, illi tutò sub ipsius alis subducuntur; absumentibus cætera *locustis*, horum *illibatus* conservatur *vigor*. Apoc: 12.

6 Quid agimus (*Patres*, *fratres*, & *Filij* in *Libro vitæ* non dubito conscripti) cur in *Bibliothecis* instruendis, *Libris* comparandis, *chartis* evolvendis, spiritus & vitam effundimus? Nisi constaret nos esse relatos in hoc *Agni volumen*, oleam & operam perdimus; *inertes* futuræ sunt nostræ *artes*; *prælatura*, præstigiæ; *gradus*, gravamina; sordes, *purpura*; ἐπιδείγματα, καθάρματα quæcunque in hoc *studiorum stadio* assequimur. Ego libros omnes ut τὰ ἀθέμιτα illa συνεξάντων, Act. 19. *Vulcano* consecrandos suaderem, nisi ad istam studiorum *metam* aliquo modo collimarent. Nam quid juvaret *Magister*, aut *Doctor*, aut *Rabbi*, apud homines audire, & de propria *salute* fluctuare? Quid opponerem ne adhuc *obligaret* (quem tam acriter adversus nos urget *Satanas*) *chirographus*, nisi ostenderem illum *cruci* esse *affixum*, & nomen inde meum in *Librum Vitæ* esse translatum? Postremò; quo solatio *Patrum* volumina, *Scholasticorum* disputationes, *Historicorum* & commentariorum elucubrationes, nocturnâ & diurnâ versarer manu, quæ ignoro quo me ducant, aut præter *solicitam* quandam in legendo *anxietatem*, nescio quid conferant? Si unquam igitur de Methodis, de *Disciplina Scholastica*, de *legendis authoribus* cum *fructu*, de *Encyclopædia*, de studiorum *cursu* feliciter absolvendo, & *Bibliothecis* utiliter *adeundis* opportuna esset deliberatio; habendus est hic studiorum *scopus* semper ob oculos; ut in hoc *Agni libro*, nomina nostra inscripta intelligamus. *Textum* hunc *authenticum* non adulterabit, aut mutabit *Index aliquis expurgatorius*. Cætera *abducunt* omnia, nisi *scalæ* fiant ad hunc *Paradisum* aut *Itineraria* ad hunc. *Domini montem*, aut שירי המעלות *Graduum Cantica*, per quos gradatim ad æternæ *Theosophiæ Doctoratum* ascendamus. Quod si advenas ad hæc comitia nostra confluentes, gratulabundi soleamus circumducere, à *Bibliothecâ* publicâ per *Scholas*, à *Scholis* per *porticus* ad stuporem magnificas & exornatas, ut intelligant quantum clarissimo Equiti *Thomæ Bodleio*, quantum *Benedicto* ipsius *Æmulo*, & cæterorum *Mecænatum* illustrium munificentiæ debemus; de quibus fidenter concludamus sicut de adjutoribus suis *Apostolus ad Phil* 4. *Nomina ipsorum inscripta esse in Libro Vitæ*: Quanto acceptius erit hisce *Filiis* meis; à teneris quasi unguiculis inter libros enutritis, ita manuduci per *mysticæ* hujus, de qua dixi, *Bibliothecæ cryptas* & *porticus*; ut quicquid *legerint*, quicquid *scribendo* aut *meditando* immensis curis ac vigiliis ex tot *Bibliothecis* comportârunt, ad debitum *scopum*, & optatum *finem* tandem accommodent. Coll: 2. Vers: 2.

7 *Melanchthon* (ut tradidit *Neotericus* quidam) bibliothecam *Philosopho* ex quatuor præcipuè *Libris* præcepit constituendam, *Aristotele*, *Plinio*, *Plutarcho*, vel *Cicerone*, & *Ptolomæo*. Pro horum tribus ultimis *Scaligerum*, *Zabarellam*, *Scbegkium* substituit senior *Goclenius*; nec in *Bibliotheca* alicujus *Theologi*, ultra *Biblia*, *Institutiones Calvini*, *Confessionem Bezæ*, & *Grammaticam Hebraam Cevallerii* requirit *Franciscus Iunius*. At ista *discentibus* potiùs adaptantur quàm *Doctoribus*. In vestris igitur *Bibliothecis*, primum occupet pluteum, *Liber providentiæ*, à cujus majusculis *characteribus* ad illa quæ *naturam* superant assurgatis. Nam *cæli* enarrant *gloriam Dei*, & opus *manuum ejus annunciat firmamentum*; Dies *diei eructat* verbum, & *nox nocti indicat scientiam*. Quemadmodum autem, ubi desinit *Physicus*, ibi incipit *Medicus*: ita, ubi *natura* flaccessit, & non progreditur, ibi *Liber Scripturæ* succedit Psal. 19.

ſuccedit & informat. Et ita pergit *Pſalmiſta* de hoc *ſecundo libro*, *Lex Domini immaculata convertens animas: teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans parvulis.* Ex hujus autem voluminis principiis, *Tertius Liber*, qui eſt *Iudicii* deducit *corrollaria* ſua, & *lemmata*. Eſt qui accuſat vos *Moſes* in quem ſperatis *Johan.* 5. Et *ſermo quem loquutus ſum* (inquit Salvator) *ille judicabit in noviſſimo die.* Librum autem *conſcientiæ* niſi ex hujus *Scripturæ* dirigas *canone*, neceſſe eſt ut in *progreſſu* ubique ceſpites, & in *termino* tandem pro *Dei* tribunali cauſâ cadas. Nec alia proſtant ad hunc *librum Agni* (de quo loquor) quam *Scripturæ prolegomena*. Videtiſne quàm imperitè verſantur in *Aſtronomicis*, *Opticis*, *Geographicis*, & *Chronologicis*, addo etiam in *Platonicâ Philoſophiâ*, & *Ariſtotelicâ*, qui *Arithmeticam* & *Euclidem* non guſtârunt? Unde ſummis *impenſis*, *alacritate* ſimul, & *pietate*, proſpexit jam tandem *nobis*, & *periclitanti Academiæ*, *Eques* poſt homines natos ad *talem gloriam inſtructiſſimus*, *doctiſſimus*, & *paratiſſimus*. Annon eandem ob cauſam paſſim conqueruntur *Medici*, Empericos neſcio quos, è *Bulbis* & *Braſſicis* pharmacopœos, ob defectum in *Phyſicis*, *Anatomicis*, *mineralium*, & *herbarum* ſcientiâ, plures plerunque interficere, quàm ſanare? Sic ſe res habet in *Theologis* & in *recondita* hujus (de qua ago) *Bibliothecæ* uſu. Niſi in *Libro mandatorum Dei* deponas tirocinium, niſi *verbum ſcriptum* ſuppeditet *catechiſmum*, ſic ut nunquam doceas, nunquam prædices, nuſquam auſis de libro *prædeſtinationis* aliquid aſſerere, quod non expreſſè dictârunt *Prophetæ* vel *Apoſtoli*, vel ex revelatis per illos *principiis* indubitatò deducas; niſi ab *analyſi* ad *geneſin*, ab *effectis* ad *cauſas*, à *ſcriptis* ad *occultiora* in hac aſcendas *ſcalâ*, præpoſterâ deſcendis *methodo*, à faſtigio *cœli* ad *inferni* abyſſum; ubi nil expectes niſi cum *Ieſuitis* & *Remonſtrantibus* confuſionem, & anathemata.

D Hen. Savill

Creatio.

§ *Repetita ſunt iſta omnia tam ſolicitè à me* (Dilecti Filii) *in* veſtram *præcipuè* gratiam. *Paſſim, ut noſtis, circumvolitant in hoc feraci* chartarum ſeculo *humani cerebelli* Minervæ, *quæ vos ab hac* directa *ad fœlicitatem* ſemitâ, *in* ſalebras & ſyrtes *abducerent.* *In omnes igitur eventus accipite, hoc ab* ipſo ſpiritu ſancto deſcriptum Itinerarium; *in quo quicquid legitur*, veritas eſt; *quicquid præcipitur*, charitas eſt; & *quicquid demum* miſcetur, *ab hoc* Medicorum *choro* doctiſſimo & religioſſimo, *cui ipſe ſub Deo, quòd hîc loquor, debeo, probatum eſt.* *Quemadmodum enim incumbente procellâ, & cœlum ab oculis eripiente, navigantes dirigit* paxis nautica; *ut* ubi *ſint* & quorſum *tendant*, & *quomodo* ſcopulos *declinent intelligant: ita coruſcat in obſcuro loco hæc* cœleſtis lampas, *uſquedum* dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris. *Quare ut* Cyprianus *de re abſtruſiore verba facturus*, *Da* magiſtrum, *ſcilicet* Tertullianum, Paulo Concordienſi ſuo Notario *ſemper inclamaret: ita, abſque hujus* magiſterio, *nolite vos aliquid de* libro *præſertim* Providentiæ & Conſcientiæ, *præcipuè vero de* libro æternæ vitæ, & Prædeſtinationis, *inconſultiùs*

Liber.

2 Pet. 1.

Hieronym. in Catalog. Niceph. hiſt. Eccleſ. lib. 4. c. 34.

ſultiùs ſtatuere. Da magiſtrum, *dicite* Pontificio, *cum* beſtiam *adorandam contendit. Da* magiſtrum *ingeminate* Remonſtranti, *cum* naturæ energiam *incruſtet. Nec aliud vellem alijs de* ubiquitate, *de* ſacramentis, *de* diſciplinâ, *de* ceremoniis, *inſœliciter tumultuantibus, frequentiùs reponeretis, quam date* nobis Magiſtrum *unde conſtent ea quæ aſſeritis. Ex* magiſterio *hujus libri* קינים והגרה והי lamentationes *in* luctum commiſſorum; carmen, *in ſolamen* juſtorum; væ, *in conſternationem* obſtinatorum, *quaſi ex* Ezechielis volumine involuto, *tempeſtivè depromatis. Sit hoc* Zachariæ volumen volans *ad omnium* furum & perjurorum *expeditum* anathema. *Cum verò è contra erigendi ſint* lapſi, *confirmandi* vacillantes, *fracti* ligandi, *errantes quoquo modo* reducendi; *Iterum iterumque moneo ne ab hujus libri* magiſterio *latum unguem decedatis. Iſta autem ut accepto ulteriore* pignore, *conſtantiùs vobis redeant in memoriam; ecce vobis ſecundò* Annulum, fidei, ſapientiæ, & nobilitatis *apud antiquos* Hieroglyphicum. Servis annuli jus negatum *oſtendunt* luriſconſulti *illi Noſtri doctiſſimi* ex *Digeſtorum* 40. *Vnde cum* Annulorum *acervum effudiſſet ex* Cannenſi pugnâ, *coram* Senatu Carthaginenſi Mago *qui adduxerat; addidit illud Inſigne, non niſi ab* equitibus Romanis *fuiſſe geſtatum. Obſervatis hîc (ſcat ſcio)* metalli puritatem, *& figuræ* rotunditatem; *Illud indicat* ſplendorem *in ſecundis*, firmitatem *in adverſis*, auream *in omnibus* mediocritatem, *à vobis eſſe amplectendam. Vt autem circularis (ut noſtis) figura* Planum ſubjectum *tangens tantùm* in puncto, *celerrimè movetur*, & trochleis *artificioſè* diſpoſita, *& commiſſa*, graviſſima *rapit in altum* pondera: *ita in* puncto *ſolùm attingenda eſt à vobis hujus* horizontis terræ planities; *ut eò celeriùs curſum ad cœlum conficiatis. Et excogitandi à vobis ſunt non tantùm* annuli ſphærici, & Aſtrolabia *ad* cœleſtia *ex* Bibliorum Theorematis *indaganda; ſed & adaptandæ ſunt* trochleæ, *quibus* plumbea *hominum* corda, *quæ tam arctè hærent* natali luto, *ad* tertium *uſquæ cœlum elevetis. Hoc verò ut liberiùs præſtetis*, Pileum *hoc* manumiſſionis *teſſeram capitibus veſtris* tertiò *impono.* Pilei *cujuſdam meminit* Theodorus Balſamon; *tali imbuti virtute, ut per* eum (*quicunque geſtaret*) *omnibus imponeret* ſilentium, *dum ipſe* pileatus *expeditiùs ad ſtuporem loqueretur. Non optarem hunc effectum* pileis veſtris *impreſſum, ſed* capitibus, *ut ſucceſſus quadraret* ſymbolo, *præcipuè ubi gladius* oris *in* beſtiam *& ipſius cultores eſt ſtringendus.*

Ezech. 2.

cap. 5.

Annulus.

Pileum.

ſtringendus. Poſtremò ne à capite *ad* calcem, *quicquam deſit; obſervandum quam* ſpecioſi *ſunt futuri* pedes evangelizantium; *ne cum pileum deſignet* penſum, *in omni mundi plagâ peragendum,* annulus *poſtulet celeritatem;* liber *ſtudium, inepti ſint* pedes *ad expeditionem, deſtituti* ocreis. *Sed antevertit hîc* ſutor *meam ſolicitudinem:* Ocreas *video & laudo, quibus* calcaria *ſingulis momentis adaptabit (non dubito)* occaſio. *Iamq; quid aliud reſtat niſi ut paterni* affectus, *& fraternæ* charitatis oſculo, *omnia vobis auſpicata obſignem, & in pace ſic accinctos demittam ad prælium? Si memineritis illorum nomina in* libro Agni indelebili *eſſe inſcripta* charactere, *qui non* adorârunt beſtiam; *non poteſtis non animoſè in* arenam, *cum* commilitonibus *veſtris deſcendere,* erecti & obfirmati *tali* autoramento *& cauſæ conſcientiâ. Quare ſi prodeat iſte* Adverſarius, *quem è regione jampridem quaſi è* dolio *ſentio emerſiſſè, ut* rufus Equus *in Apocalypſi ad* tollendam pacem de terrâ; *ſentiat Inferior* Magiſter, Doctorales *veſtros, & adhuc è nido* calentes impetus. *Sin tremiſcat ad aſpectum* purpurati veſtri, & quadrati agminis, *& ut diſcipulus veniat ut* diſcat, *non animo* hoſtili *ut* laceſcat; *tunc author eſſem, ut recolatis vos* Agno *dediſſe nomina. qui utcunq; adverſus* beſtiam *ſumat* cornua, *ſuos tamen non permittit* clamare *aut* rixari, *ſed* agnorum more *inter ſe invicem, placidè & innocenter ludere.*

Ocreæ.

Oſculum.

Reſp. Mr. Tho. Worrall.

Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, *ſit omnis laus, honor, & gloria, in ſecula ſeculorum,* AMEN.

ORAT. V.

ORATIO V.

INAVGVRALIS IN PROMOTIONE DOCTORVM Edw. Challoner. Tho. Sutton. Edw. Bruncker. Ant. Morgan.

Oxonii in Comitiis habita Anno 1620.

De Decimis.

Gen. 14. verſ. 18, 19, 20.

18. *At verò Melchiſedec Rex Salem protulit panem & vinum, & ipſe cum eſſet Sacerdos Deo altiſſimo.*
19. *Benedixit ei & dixit, Benedictus Abraham Deo altiſſimo poſſeſſori Cœli & Terræ.*
20. *Et benedictus Deus altiſſimus qui tradidit hoſtes tuos in manum tuam. Dedit itaque ei decimas de omnibus.*

QUinta jam vice hoc *creandi penſum*, novas mihi, & vobis creat moleſtias, (*gratiſſimi Hoſpites*, & *florentes Academici*) Mihi, quia recenter quotannis egerminanti ſoboli, non ſuppetit *ſuppellex curta*, quod meritò largiar: Vobis autem non placeat *recocta crambe*, quæ antehâc ſæpiùs appoſita excitavit nauſeam. *Recolenti* igitur mihi, qua ratione me expedirem ex iſtis anguſtiis, occurrit de *Decimis* argumentum; expetitum quidem à *multis*, huic *loco* & *negotio* fortàſſe non incommodum. Siquidem meminiſſe poteſtis, cum primò *Filios meos* ut *Teſtes* in hanc ſcenam produxiſſem, & veſtes illis ſecundò pro muneris, et gradûs ratione, ad exemplar *Aaronis* adaptaſſem; qua ſolicitudine *tertiò*, de *Gog* et *Magog* hoſtibus admonui, et *quarto* de *Libro Vitæ*, in quo quæ dederunt *agno*, conſervantur ad triumphum, nomina. Cæterùm hucuſque defuit itinerantibus *viaticum*, et militantibus *ſtipendium*. Quis autem *militat unquam propriis ſtipendiis?* Quis plantat *vineam & de fructu ejus non comedit?* Et

quis *pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Ista non sunt humanæ cupiditatis *murmura*, sed Spiritus sancti *dictamina*, ut apertè docet *Apostolus*, 1 Cor. 9. 7. Lex jamdudum hoc præcepisset. Non obligabis *os bovi trituranti.* Sed qui altari *assident*, cum *altari participabunt.* Nunquid autem minor est *Domini* de *Ministris Evangelij*, quam de *bobus*, & *Levitis* solicitudo? Cum Reges adversus *Bestiam Apocalypticam ascendat doctissimus Heros*, in præfatione ad *Iniquitatis mysterium*; ingeminat *Petulans* quidam *Iesuita*, ut maximè *clangente* tali *classico*, omnes prosilirent ad prælium *Reformati*, ubi tamen (inquit) *est pecunia?* Alpes non transvolandæ sunt absque *pennis columbæ argenteis*, Nervus belli est *pecunia.* Pari ratione non expectanda sunt hodiè in cœlesti nostra militia, vel *Manna* è cœlo; vel *coturnices* è vento; vel panis *subcinericius* & *aqua*, ab apponente Angelo. Frustra esset qui jam speraret, ex *quinque panibus hordeaceis*, & duobus piscículis, *quinque hominum millia* saturare, & *cophinos* insuper nonnullos, in amicorum, aut futuræ inediæ subsidium seponere. *Posteritibus* igitur ipsis si *substrahatur pabulum*, non tam *strigosi* futuri sunt *greges*, quàm *depexum* ductoris *pallium*. Qui sedent in *portâ* opprobriis ipsos obruent, & *bibentes Schecar* (ut loquitur *Psalmista*) cantionibus ipsos exagitabunt. Siquidem non *ignorantia* tantùm *Sacerdotum* (ut voluit *Panormitanus*) sed *Sacerdotij ignominia*, tenuitatem Beneficiorum necessariò sequitur. Ut ergo *Parentes Providi*, non soleant *liberos* dimittere, nisi constet priùs quomodo sit illis prospectum, ne indigi omnibus postea sint despicatui: ita nec visum est mihi (*dilecti Filii* absque debito comeatu, vos in aciem protrudere. Et quia rediistis hodiè ut *Abraham* è cæde *Regum*, *Gen.* 14. adversariis vestris in *Vesperiis*, aut *dissipatis* fortiter, aut prudenter *deditione* reconciliatis; typus peragendi hodierni negotii, erit illustris iste *Melchisedec* cum *Abrahamo* congressus; qui in *æternitatis fastis*, Gen. 14. v. 18. sic describitur. *Porrò Melchisedec Rex Salem*, &c. Duo hic tantùm obiter *annotata*, instituto nostro faciunt satis. *Primum* quis hic *fuit Melchisedec*, deinde quid *fecit*. Fuit *Rex* & *Sacerdos.* Tria fecit, 1. *protulit panem*, & *vinum*, 2. *benedixit Abrahæ*, 3. *accepit ab eo Decimas.* De quibus ordine.

Phil. Morneus.

Gretserus.

Psal. 69.

2 Quis fuit hic *Melchisedec* nec *vetusti* aut *Recentiores* inter se conveniunt. *Epiphanius* lib. 2. *hæresi* 55. *Melchisedecianos* quosdam commemorat à *Theodosianis* non multùm discrepantes; qui *Melchisedec* non *hominem* fuisse putárunt, sed *virtutem* quandam *magnam in locis innominatis*, Christo quidem *majorem*, eò quod *Christus* Psalmo 110. ut *Sacerdos* inferior, *secundùm* ipsius *ordinem* recensetur. Eosdem inter hæreticos enumerásset anteà *Philastrius*. Sed defendit strenuè *Author quæstionum V. & N. Testamenti* cap 109. apud *Augustinum*. Ejusdem fuisse erroris *Origenem*, unà cum *Didymo*, testatur in *Epist.* 126. ad *Evagrium Hieronymus*. Unde *Hieràx* quidam, non exiguæ Vir eruditionis, sed in omni doctrinæ genere exercitatissimus (teste *hæresi* 67. *Epiphanio*) *Melchisedec* hunc fuisse *Spiritum Sanctum*, expressiùs pronunciat. Atque hæc sententia inter quamplurimos, tempore *Hieronymi* invaluisset, ut non mediocrem *ipsi*, adeoque *toti Ecclesiæ* creavit molestiam. Cæterùm vel *Spiritum Sanctum* unquam fuisse *incarnatum*, vel *regnum* aliquod hîc in terris *certo in loco* administrâsse, vel *Pontificis munus* obivisse, vel *panem*, & *vinum* lassatis distribuisse, vel in *assumpto* Sacerdotis *habitu decimas* à quoquam accepisse, videtur potiùs esse *febricitantis somnium*, quàm *Theologi* cujusplam conjectura. Nec minus difficultatibus expósita recentior videtur doctissimi *Cunæi* sententia, nempe

In Cat. Hæres. sub Apostolis Hæres. 5.

Melchisedecum

Melchiſedecum fuiſſe *ipſum Chriſtum* ſub *Sacerdotis Regiſq́* habitu, *Abrahamo* victori occurrentem. Sed neque facilè admiſerint *Theologi*, vel *Servatorem* ante *incarnationem*, *Regem* aut *Sacerdotem* hîc in terris induiſſe; vel *decimas* à quovis recipiſſe, vel impiis (ut *Sodomeis*) ſe immiſcuiſſe, aut ſpectandam exhibuiſſe. Certè quod ἀφωμοιωμένον *aſſimilatus* ſit *Melchiſedec Filio Dei*, *Heb.* 7. ut *umbra* corpori, & *typus antitypo*, *poſteriorem habet ductum* (ut ſcitè loquitur *Epiphanius*) quàm ut in Spiritus Sancti, addo vel in *Filij hypoſtaſin*, aliquo modo quadret. Illud autem *Authoris* in *quæſt.* V. & N. Teſt. ipſe elidit, *hæreſi* 34. Quo *criterio* quæſtiones iſtæ (quarum ipſe nuſquam meminit *Auguſtinus*, aut *errores* retractavit) *Eraſmo*, *Alfonſo* à *Caſtro*, & *Prateolo* videntur ſuppoſititiæ. Secunda opinio quòd *Melchiſedec* erat *homo mortalis*, genere quidem *Cananæus*, Rex tamen *juſtiſſimus*, & *Sacerdos* Dei *altiſſimi*, plures habet aſſertores, & textum multo faventiorem. *Hippolytus*, *Irenæus*, *Apollinaris*, *Euſtathius*, *Euſebius*, tam *Cæſarienſis*, quàm *Emiſſenus*, *Theodoretus*, *Suidas*, *Chryſoſtomus*, *Oecumenius*, unà cum *Judæis* præcipui nominis *Philone* & *Joſepho* ita ὁμόφωνοι hoc aſſerunt; ut ſibilis ferè acciperentur, qui vel ſpecie ſaltèm ſe opponerent. Nos *Matrem* ipſius in *Traditionibus* reperimus (inquit *Epiphanius*) itemque *Patrem*; è genere *Sidonis* & *Cananæorum*. Pater ſecundum quoſdam erat *Heraclas*, mater *Aſteroth*, quæ & *Aſteria* dicitur. Sic *Græci* ferè omnes. Et quanquam ad *Parentum* nomina, non ita ſpeciatîm deſcendant *Recentiores*; eandem tamen tuentur ſententiam, *Calvinus*, *Mercerus*, *Muſculus*, *Pareus*, *Junius*, *Cartwrightus*, & *Pontificij* ferè omnes, ut patet ex *Duacenſibus*, & *Ieſuitis*, *Pererio*, & *Cornelio à Lapide*: Illi quia non libentèr *præter textum* ſapiunt; Hi verò ut *ſuprematui Sacerdotis viſibilis*, *Traditionibus* non ſcriptis, & *virginitatis* voto, à *Sacrificulis* ſuis nuncupata, aliquem ex tam *illuſtri exemplo* acquirant colorem. Sed repugnat *Typus* à maledictâ *Chami* ſtirpe, vix *Meſſiæ* accommodandus: repugnat *factum*. *Benediceretne* talis, aut *decimas* acciperet, qui majorum infamis ſtigmate, in poſteris prorſus erat averruncandus? Repugnat demum *dignitas*. Nam quo privilegio *ſervi ſervorum* filius, Patre *fidelium* major evaderet? Quo præceptore didiciſſet *Deum cæli & terræ eſſe creatorem*? Ut ipſe religioſè *ſacrificaret*, & *Abrahamo* ipſius cultori tam ſincerè gratularetur. *Dionyſius Areopagita*, illum ab *Angelo* inſtitutum fuiſſe autumat. Sed iſta ſunt hujuſmodi quæ fundamento ſatis idoneo deſtituuntur. Receptior itaque *ſententia* ſuccedit *tertia*, non alium fuiſſe *hunc Melchiſedec* quam *Shem*, benedictum illum *Noachi filium*; qui relictis quamplurimis è poſteris ad *orientalem plagam*, ipſe in iſtum locum (*Spiritu* ſic *ducente*) ſe recepit; è quo poſtea *pax & ſalus omnibus nationibus promulgaretur*. Convenit enim *tempus*. Nam (quicquid è corruptiſſimo *Græcorum* calculo contra opponit *Epiphanius*) conſtat ex *Hebraica veritate*; *Shem* non cum *Abrahamo* tantùm, ſed cum *Iſaaco* etiam aliquos ſenectutis ſuæ annos tranſegiſſe. Convenit *perſona*. Nam quis *Abrahamo* eſſet propenſior, quam ſervatus ab *Antediluvianorum* internecione talis *Patriarcha*? qui redintegratam, in *filio*, venturi ſeminis *illuſtriorem promiſſionem* non potuit non amplecti? Fieri etiam potuit ut reverentiâ *ducti Orientales* ipſius poſteri, (*Amraphel* ſcilicet Rex *Sennaar*, cum ſuis commilitonibus) quando longè latéq; *campeſtria*, & *montana* ſunt depopulati; à *Salem* & illius *territoriis*, conſultò declinârunt; ne injuſtiſſima potiùs deprædatione allecti, quàm à *rebellibus* provocati viderentur. Nec obſtat quòd *Melchiſedec* ab *Apoſtolo* ut ἀγενεαλόγητος aſſeratur, Hoc enim fit, vel quia quaſi

De Repub. Heb. l. 3. c. 3.

Heb. 7.

Hæreſ. 67.
Hæreſ. 50.

Eccleſ. Hierar. cap. 9.

Eſa. 2.

Gen. 14.
Heb. 7.

διὰ τὸ μὴ ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ τὸ σαφεώτερον ἐπωνομάσθαι.
Ep Hæreſ. 55.

quaſi ἀπὸ τῆς μητρὸς, ſub velo tantùm *nominis appellativi*, abſque omni *Patris* aut *matris*, aut *ſucceſſoris* genealogiâ introducitur, ut *Antitypum* eo aptiùs exprimeret; vel quia *ſexcenteſimum* jam fere attingens *annum*, iſtius ſeculi hominibus ἀπόχρων prorſus videretur. *Salem* autem utcunque *Hieronymus* ad *Evagrium* diſtinguat à *Ieruſalem*, habeatque pro civitate juxta *Scythopolin*, in *Sichem*, *Gen.* 33. in *locis* tamen *Hebraicis*, eandem putat eſſe cum *Hieruſalem*, ut *Ioſephus* & reliqui penè omnes ſcriptores, ſtatuunt. Eandem tam de *nomine*, quàm de *urbe*, tuentur ſententiam inter *Pontificios Lyra*, *Toſtatus*, *Genebrardus*, *Torniellus*; è *Reformatis* verò noſtris, omnes ferè poſt *Broughtonum*, qui juſto *tractatu* in hac cauſâ 22. *Iudæorum Rabbinos*, *Ioſepho* & *Philoni* oppoſuit. Interea qui cautiùs agunt relinquunt rem in medio. Apud me præponderant rationes quæ *Melchizedec Shem* indigitant. *Melanchthon* hunc ut *Theologici Collegij Præſidem*, *Abrahamo*, Dei *Magnalia* dictantem & *Iſaacum* unâ cum cæteris ſeris nepotibus pro *authoritate Patriarchali* inſtituentem, magnificentèr celebrat. Veriſimilia quidem poſſint eſſe hujuſmodi; ſed non quæ aſſenſum imperent. Illud tamen certum eſt *Regium* munus & *Sacerdotale* eminentèr in hoc *Patriarcha* coaluiſſe; quod primigenituræ jus (ſecundùm quoſdam) *Eſavus* poſteà Jacobo vendidit.

Rex Anius Rex idem hominum Phœbiq; Sacerdos.
Virg. Aen. 3.

Eſt apud Poetam. Sed *Melchiſedec* hic occurrit illuſtrior *Rex Salem*, itemque כהן לאל עליון *Sacerdos Dei altiſſimi*. Qualia autem humanitatis, ſive pro *more*, ſive pro *munere* *Abrahamo* exhibuit officia, ſequitur ut carptim tantum, & *ſaltuatim* in tranſcurſu delibemus.

3 Primò igitur *protulit panem & vinum*; deinde *benedixit ei*. Primum præſtitit ut *Rex*, ſecundum ut *Sacerdos*. Regium erat laſſatos de *via*, *vi*, & *vigiliis*, non *aquâ* tantùm aut *pane*, ſed *pane* & *vino* reficere. Sacerdotis erat triumphantibus de *Eccleſia hoſtibus*, alacritèr occurrere, congratulari, & *fauſta* omnia, & *auſpicata* comprecari. Enimverò excuſare *Senem* potuerunt *ætas*, *dignitas*, *itineris moleſtia*, & *incommodum*. Si per *Famulos* tantùm, aut *Abrahamum* ad ſe invitâſſet, vel tranſeuntem ſaltem *aliquo* reſciſſet *commeatu*, aut ornâſſet *donariis*; plus præſtitiſſet forſan, quàm debuerat, *Rex indigena*, *advena*; qui non tam *ſibi*, quàm *vicinis*, (non adeo forſan ipſi *gratis*, aut *amicis*) tuliſſet ſuppetias; verùm *aulicæ* iſtæ *ceremoniæ*, & πολλὴ φαντασία, ſimplicioribus illis priſcæ candoris *Heroibus*, non omnino innotuere. Non didiciſſet hic *Regum ſanctiſſimus*, & *Sacerdotum maximus*, in *palatio* indutus *pontificalibus* cathedræ ſolummodo *adhæreſcere*, ſupercilioſè omnes *contemnere*, & adventantes cujuſcunque *meriti*, aut *dignitatis*, vix *oſculo pedum* dignari. Quinimo occurſum accelerat, ut unto *acceptior*, quo *promptior* eſſet benignitas. Nulla hic intervenit *ſuſpicio*, nulla *æmulatio*, ne *minor*, victoriâ, & tot opibus tam ſubitò elatus *Abraham*, ipſius famæ aliquid decerperet; aut *majori* præponeretur. Ecce vobis *humilitatis* in ſumma *dignitate*, *ſinceritatis* in ſuſpecta rerum *viciſſitudine*, heroicum imitandum exemplar! Id agunt *illi* candidè quod ſuadet *Apoſtolus*, ut alter alterum *honore prævenirent*. Ubi *primas* tamen tenet *ſenior*, non *validitate* forſan ſed *occaſione* promptior. Protulit igitur *Melchiſedec panem & vinum*.] Quiſquamne eſt inter vos (*Auditores*) cui, (cùm iſta audiverit, legerit, perpenderit) de *ſacrificio* aliquo *incruento*, aut de *hoſtia* à *Melchiſedec* in hoc occurſu coram *Abrahamo* & *Rege Sodomæ oblata*, inciderit cogitatio? *Miſſam* tamen inde ſuam extundunt *Pontificii*, ac ſi *Melchiſedec* eſſet

Rom. 12.

esset *sacrificulus Papalis*, & *panis & vinum* (quorum hic intervenit mentio) *consecrata* (nescio) an *transubstantiata* esset hostia, & *Rex Sodomæ* idoneus spectator talium mysteriorum. Nam ita *Bellarminus*; oportet per *panem & vinum*, non *profanos cibos, sed sanctificatos & Deo priùs oblatos intelligere*, lib. 1. de *Missa cap. 6.* Nam id *probatur* (inquit) *efficacissimè* ex *verbis sequentibus. Subjungit enim Scriptura; Erat enim Sacerdos Dei altissimi. Quæ ratio ab ipso Spiritu Sancto reddita, omninò cogit ut intelligamus panem & vinum prolata fuisse ad sacrificium. Efficacissimum* hoc *Cardinalis argumentum*, quod omninò *cogit*, sic vibratur. Quia *Melchisedec* qui protulit *panem & vinum* erat *Sacerdos Dei altissimi*, ergo *panem & vinum* protulit non in *commeatum*, sed in *sacrificium*. Unde הוציא protulit, verbum esse *sacrificandi*, non *simpliciter* aliquid *conferendi*, contendunt cum *Bellarmino, Suarez & Duacensibus, Genebrardus & Pererius*. Sed jam tandem incipiunt hujusmodi *falsamenta* putrescere. Neque enim ita sonat textus, *protulit panem & vinum, quia erat sacerdos*; sed cùm esset *Sacerdos Deo altissimo*, ideo *benedixit*. הוציא autem (quod generatim *producere* aliquid significat) ad *sacrificandum* solummodo restringere, aut *stuporis* cujusdam est *delirantis*, aut prætrictæ *amentiæ*. Fecerunt *Magi Pharaonis incantationibus* suis להוציא ut *educerunt pediculos*; num *pediculos* ergo sacrificârunt? Animadvertit hoc jamdudum in hunc locum *Cajetanus*. Ideo nihil, (inquit) hic scribitur de *sacrificio*, vel *oblatione*, sed de *prolatione* seu *extractione*, quam scribit *Iosephus*, factam ad reficiendos *victores*. Copiosiùs hoc explicat *Vatablus. Non exponendum est ut vulgò, ipsum protulisse panem & vinum, ut offeret Deo in gratiarum actionem, quod Sacerdos esset; nam duo dicit, quæ necessariò distingui debent: ipsum Melchisedec fuisse regem, & sacerdotem.* Quòd *esset Rex Abram & ipsius comites accepit hospitio, atque aluit pane & vino; panis nomine, intellige, omne cibi genus. Quòd autem Sacerdos, Benedixit jure Sacerdotis, & decimas ab eo recepit: vetus autem hic mos fuit, ut qui reges erant, simul sacerdotio fungerentur.* Sed hanc expositionem tam *nativam* & dilucidam expungit *Index Sandoval.* Edit. Genev. 1619. pag. 76. Quod autem in vulgata editione subditur ut *causa* oblationis: [*Erat enim sacerdos*] in *Hebræo* non habetur (addit idem *Cajetanus*) ut *causa*, sed ut *separata* * *particula*. Ita etiam *Andradius, Pagninus, Montanus*. Nec *viginti* quæ adducit *Bellarminus Patrum* testimonia, aliud quicquam conficiunt; quia *alludunt* potiùs ad hunc locum, dum de *cænâ* tractant *Dominicâ*, quàm aliquid inde concludunt. Noverant enim *analogiam* inter *Christum & Melchisedec*, non ex parte *sacrificii*, sed *Sacerdotii* quadrare, & hoccine fundamentum videtur Idoneum, ad *tremendum & adorandum* Missæ *sacrificium* Ecclesiæ obtrudere? Maledicta glossa quæ sic pervertit textum, in quo persequamur *Benedictionem*. *Benedictus Abraham Deo altissimo, possessori cœli & terræ, & benedictus Deus altissimus qui tradidit hostes tuos in manum tuam.* Inceptiunt hic *Judæi* qui pro more suo nugantur, *Sacerdotium* à *Melchisedec* ad *Abrahami posteros fuisse translatum*, quia *Abrahamo* inter benedicendum hoc in loco benedixit *Melchisedec*, priùs quàm *Deo*. Quis enim non videt, & benedictionem *Abrahami* à *Deo* derivari, & *benedictum* prædicari *Deum*, propter insignem victoriam *Abrahamo* collatam. Ita ut *Deus* sit *a*, & *efficiens* & *finis* ratione *benedictionis*, *Abrahamus* subjectum quod recipit, *Melchisedec* dispensator, qui nomine *Dei altissimi* impertit. Solicitus est *Rex Sodomæ* solummodo de *obsidibus suis*, & *substantia*: *benedictionem* nec *curandi*, nec *titivilitii* æstimat. *Melchisedec* interea rem mandatam fideliter obit; & gratus

* והוא כהן *& ipse Sacerdos.*

In locum.

Exod. 8.

Talmud in Massech Kedarim c. 3. fol. 32. a. R. Bechai, Chuskuin, Chimki, Iarchi in text.

gratus Abram, qui *levavit manus ad Dominum Deum excelsum, possessorem cæli & terræ*, se non detenturum aliquid à *filo usque ad corrigiam calceamenti*, vel ab iis qui vix dignabantur repetere, & indigniſſimi eſſent inſuper accipere, è *talibus* inſuper, quæ tanto cum periculo recuperaſſet *ſpoliis debitas* tamen *Sacerdoti* perſolvit *decimas*. Nam *dedit ei* (ut habet *textus*) מעשר מכל *decimas de omnibus*] *quas accepit ille*, qui commeatum dediſſet: ſed *quo jure* ſupereſt ut quaſi per tranſennam, prout fert præſens occaſio, pauciſſimis deſpiciamus.

5 Forſan ſponte has dedit Abram, vel ut tam propenſam *Regis* tanti *benignitatem* aliquo *gratitudinis* rependeret *ſymbolo*; vel in *teſtimonium* ejuſdem *cultus*, vel ut *contractam* cum tam potenti *Principe* amicitiam ulteriùs firmaret. Sed cur *Decimas* tam potiùs dedit, quam aliquod aliud *ſingulare*, vel dimidium, vel partem *undecimam* aut *viceſimam*? Cur de *omnibus dedit*, & non de *aliquibus* ſaltèm vel præcipuis? Subit etiam mirari cur *Melchiſedec* aliquid acciperet; *Abramo* dixiſſet, non *veni ut ipſe dareſcerem* ex *tuo ſudore*. *Largior tibi ex animo quod mihi ad manum eſt*. *Non expecto vel indigeo quæ tu libentèr rependeres*. Sed nullâ hic intervenit talis diſceptatio. Dat *fidus* Domini *miles* quod exiſtimavit *debitum*, nec renuit ſanctiſſimus *Sacerdos*, non quia opus habuit, ſed ne jus ſuum periclitaretur. Sunt qui ex *manubijs* ſolummodò hic *decimas* contendunt perſolutas, ſed conatu irrito. Numquid enim veriſimile eſt *Abramum* voluiſſe è ſpoliis *Sodomæ* decimas ſubtrahere, qui juravit ſe nolle *corrigiam* ſive *filum* deminuere? Latebant inter *iſtas manubias* Aner, Eſcol, & Mambre, confœderatorum *peculia*. Num & hæc etiam decimavit *Abram*? Dilutum autem eſt quod quærunt in ἀπεκδύσεως ſubterfugium. Neque enim conſtat ἀπεκδύσεις *exuvias* ſignificare; & ſi conſtaret, annon jure quis colligeret; ſi ex *manubiis* debeantur *decimæ* quanto magis ex certiori proventu? Spolia non eximuntur, & *Sacerdotes* tamen juſta *poſſeſſione* ſpoliantur? Iuſtituti mei non eſt, nec patitur quod præ manibus eſt negotium, corradere hinc inde, quicquid ad *controverſiam* tam vexatam faciet. Sufficit textus hujus ſcopum urgere, qui ſi *jus decimandi* non aſtruat, parum reſtabit in cæteris quæ proferuntur ſubſidii. Triplici, ut notum eſt, *nomine* exiguntur per Miniſtros *decimæ*, vel ut *eleemoſynæ*, vel vice *competentis ſtipendii*, vel tanquam ex jure divino: non tantùm ſecundùm ſubſtantiam; ſed *partem* iſtam *aliquotam*, ut diſtinguunt quidam. Perſtringitur ferè ab omnibus *Wiclevus* tanquam *primæ* aſſertor ſententiæ. Sed neſcio quàm juſtè. Neq; enim ipſe unquam obſervare potui, vel ex *impreſſo* ipſius *Trialogo*, vel ex cæteris quæ vidi *manuſcriptis*, *erroris* hujus *pernitioſi* certum aliquod veſtigium. Etenim *Concilio Conſtantienſi*, aut *Waldenſi* nimium tribuendum ex hac parte non cenſeo. In *Monachos* præcipuè eo nomine invehitur, quòd *legitimos paſtores* ſuo debito *ſalario* fraudâſſent. *Monachis* aſſerit *Decimas* eſſe puras putas eleemoſynas, ſed illas vel *jure divino Parochis* non fuiſſe debitas, cupio ut quiſpiam non à calumniantibus *Monachis*, ſed ab ipſius *ſcriptis* oſtenderet. Secunda ſententia, (quæ tam *Puritanorum* eſt ut vulgò audiunt) quàm *Pontificiorum*, de ſtipendio (ut nugantur) *competenti*; non quicquam tinnit ſolidiùs, quàm prima *iſta eleemoſynaria*. Nam quis terminos ponet huic *competentiæ*? *Laicus* qui tenetur ſolvere? At fortaſſe majoris momenti erit hujus *eleemoſynæ arbitrariæ*, quam *ſtipendium neceſſarium*. Num *Clericus*? At iſte, ſi ſapiat, recurret ſemper ad *ſuas decimas*, quas Jure Divino ſolvendas, quæ ſequitur tertia, præcipit ſententia.

6 Ubi

6 Ubi de *Decimis Decimarum*, à *Levitis*, *Sacerdotibus* exhibitis; aut *convivalibus*, Fratribus; aut *subsidiariis*, Regi; aut *eleemosynariis*, pauperibus; nulla eſt quæſtio; ſed de *ſtipendiariis* (ut loquuntur) vulgò, ſive *prædialibus*, ſive *perſonalibus*. Has autem ſi conſtabit vel ex *hoc textu*, *jus divinum*, ſive *expreſſè*, ſive *certa quadam conſequentia* Evangelii Miniſtris deputari, fruſtra ſudabit aliquis *Hiſtoricus* utcunque multijugâ Lectione inſtructiſſimus, vel ex *Rabbinorum* inſulſiſſimis quiſquiliis, vel ex *Alcorani* putidiſſimis lacunis, vel ex *cariosis* tenebrionum *lacinijs*, aut ex *incertiſſimis* diverſarum gentium *praxi*, vel *elevando* doctorum firmamenta, vel *adulando* ſacrilegorum avaritiæ, à *legitimis poſſeſſoribus* abalienare. Dedit ergo hic idque ex omnibus *Abram* Decimas, Accepit *Melchiſedec*. Quæris quo jure? Oſtendit *Apoſtolus* ad *Heb: 7.* planè *divino*. Nam ſi *Decimæ* ſint ita *Sacerdotio* ex inſtituto divino annexæ, ut ſi *Melchiſedec* Sacerdos ſit *Decimas* exigat ex *debito*, & ex *Decimis* licitè receptis reciprocè concludas *Sacerdotium*, quis ſeparabit ea *ſacrilegus*, quæ *Deus* ſic conjunxit? Sanè vel adverſarii perverſè altercantur, aut *Apoſtolus Hebræos* non ſatis ſolidè inſtituit. Nam quibus quæſo, mediis confirmat *Apoſtolus*, & *Melchiſedec* majorem eſſe *Abramo*, & *Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedec*, *Levitico* præſtantiorem? Annon quia *benedixit* eo major, iſtius capitis verſu 7°. & quia *major Sacerdos*, Decimas à *minori Levi*, in lumbis *Abrahæ* accepit? Ubi ergo *Sacerdos*, ibi *Decimæ*, & quamdiu *Sacerdos*, tamdiu *Decimæ*. Vivit *Sacerdos*, non auferuntur *Decimæ*, juxta infallibilem *Apoſtoli Logicam*. Nec tam periti tum fuerunt *Hebræi*, qui Apoſtolum illum ex *recondita* neſcio qua *Cabala* ſic redarguerent. Non argumentaris, *Paule*, ut oportet. Nam ut *Benedictionem* inſuper habeamus, *Decimas* ſic alligari *Sacerdotio*, non poſſumus largiri. Annon *exemptiones*, *Infeodationes*, *Appropriationes* ex *jure* cujuſque gentis *municipali* interveniant, quæ *Decimas* à *Sacerdotio* divellant? Sic ut nec ex *Sacerdotio* vendices Decimas, ſed *Decimæ* plerunque te deducant ad *Laicorum* horreum. Ergo *arbitrariæ* potiùs fuerunt *conſecrationis*, quàm ex *legis neceſſitate*, *exemplariter* tantùm ſolutæ, non *obligativè*. Sed latuerunt tam *Apoſtolum*, quàm *Judæos* hujuſmodi *ſubtilitates*; ergo Καὶ δεδώκατα τῷ Ἀβραὰμ (inquit) non accepit tantùm *Melchiſedec* quod pro *arbitrio* erat oblatum, ſed *decimavit Abrahamum*, eodem jure quo *benedixit*. Nec intellexerunt ii, quomodo non obligaret omnes *Abrahami* poſteros, tam illuſtre exemplar, eadem qua decimatus eſt lege *Levi* in lumbis *Abrahæ*. *Concilia*, *Patres*, *Canoniſtæ*, ab alii in hanc ſententiam confertim (ut notum eſt) adducuntur. *Scholaſtici* componunt greſſus ad *Pontificis fiſtulam*, adhæreſcunt *Jeſuitæ*, *Scholaſticis*, & è noſtris quamplurimi *Jeſuitis*. Quo *proventu* patet, quo *eventu* dies Domini revelabit. Certè *Majores noſtri*, ut conſtat ex *faſtis manuſcriptis* hujus Academiæ, Fraterculum quendam *Guliel-mum Ruſſell Decimas perſonales jure eſſe divino* negantem, *hereſeos ſtigmate*, idque ſub *Univerſitatis ſigillo* notârunt: Quorum *cenſura* à nobis eorum poſteris in re tanti momenti non eſt parvi æſtimanda.

Num. 18. Deut. 10. 1 Sam. 8. Deut. 24.

Heb. 7. 6.

D. Tilſley &c.

7 *Prodeant ergo*, (*ut videtis*) *ex ipſorum cineribus* hi dilecti mei Filij, *qui* ſpoliatæ Matris *injuriam haud ſegniori*, (*ut ſpero*) *alacritate ubivis ſunt manifeſtaturi*. *O Deus* venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, & poſuerunt

Pſal. 79.

poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam! *Quæ* domina *erat in provincijs, facta eſt jam* tributaria. *Abraduntur* nuntiorum barbæ, *& præſcinduntur* veſtimenta uſque ad nates. *Vt olim eorum qui* ſecuribus cædebant denſa arborum *ad* ſtructuram templi, inſigne & nobile erat opus: *ita habetur modo, ſi quis* ſculpturam ejus pariter bipenni & malleis *comminuat. Miramini igitur* (Patres & Fratres *vt ſque* advenæ *ſpectatiſſimi*) *cur tam pauci ambiunt hodie* Theologiæ purpuram? Sylveſtris Aper *devoravit* Decimas, & *catuli* vulpecularum *racemos omnes ſubripuerunt. Ex quatuor quos hìc aſpicitis* induſtriis *in vinea* operariis, Tres *ad minimum ſunt qui* decumano manipulo *adhuc nunquam fuerunt auctiores. Quid facerent?* Fodere neſciunt, mendicare *verò erubeſcunt. Niſi aliter igitur ab Amicis fuiſſet illis proſpectum contuliſſent ſe potiùs in* Capucianorum, *quàm in* Doctorum *contubernium. Quo acceptiores mihi acceditis* (Dilecti Filii) *non præmijs huc allecti, ſed* pietate, *ſic ut non tam vobis* gradus, *quam vos gradui futuri ſitis ornamento. Accipite igitur Almæ Matris hæc ſacrata* inſignia, *ex quibus conſtat vos ex* Triobularibus *illis non eſſe, qui adulantur quibuſvis* decimarum harpijs, *ut comedant* Buccellam panis; *ſed digni quibus benedicat* Melchiſedec, *vel decimas ſoluat* Abraham. *Vidiſti inquit Sapiens,* איש מהיר במלאכתו virum velocem in opere ſuo; *coram* Regibus *ſtabit, non ſtabit coram* obſcuris. *Vbi* Annulus *primo adaptetur digitis, in* dignitatis & authoritatis *ſymbolum.* Annulo *honoravit* Ioſephum Pharao, Mardocheum Aſſuerus, Pater *redeuntem* prodigum, *ut ſignificarent collatam ipſis fuiſſe poteſtatem* decreta obſignandi, *quibus* inferiores *ſe ſubmitterent. Interea cavendum eſt ne ita de* Annulis *veſtris diſponatis,* (*ſicut* Iudas Patriarcha *Gen.* 38.) *ut abſque* contemptu *aut* rubore *eos non audeatis repetere. Succedit deinceps* Liber, libertatis Chriſtianæ diploma, dux peccatorum, lux aberrantibus, lex ſingulis; *quæ* dirigat, *aut* corrigat *quicquid credant aut faciant. Si inceſſerit autem vobis ardor* (dilecti Filij) *componendi voſmetipſos ad heroica exempla; ecce magnificum* Melchiſedec, Abrahamum *gratum, luctantem* Iacobum, Ioſephum *Philadelpum, mitem* Moſen, *zelantem* Phineam, *devotum* Davidem, *ſapientiſſimum* Solomonem, *quos vel procul a tergo inſequendo, reliquos omnes præcurratis. Vbi dirigit etiam dilucidiùs in N. T.* Paulus *fidem,* Petrus *ſpem,* Iohannes *charitatem, ad ductum illius veri* Melchiſedec, *qui manet* Sacerdos

1 Sam. 10. Pſal. 74. 12.

D. Chaloner. D. Brunker. Equit. aur. fil. D. Sutton Lect.

1 Sam. 2.

Prov. 22. 29.

Annulus.

Gen. 41. 42. Eſth. 3. 10. Luc. 15.

Liber.

dos in perpetuum. *Atque ut intelligant omnes* Spectatores *Benevoli vos non esse* ſtipendiarios, *multò minùs* Eleemoſynarios, *qui ſub* latronum *unguibus, miſerrimam ſervunt ſervitutem. Induantur* pilea *manumiſſionis & libertatis* trophæa. *Impoſterum ergo jubeo, non ut* Inceptores *meticuloſi, ſed ut* Doctores (*quod muneris veſtri eſt*) *fideliter dignis benedicatis; quod munificentiæ eſt divinæ,* Decimas *vobis debitas animoſè ab omnibus exigatis. Cúmque in procinctu ſic eſtis ad iter,* ocreis (*quibus ſentio vos eſſe inſtructos*) *probitatis, pietatis, zeli, confidentiæ,* calcaria *diligenter addite. Diutiùs non placet vos morari.* Oſculo *igitur* charitatis *fraternæ,* affectûs *paterni, mutuæ* amicitiæ *æternæ, in* Domino Ieſu *vos dimitto. Vnicum addo, & finio, Ecce miſſi eſtis hodie ut* oves in *medio* luporum; *eſtote igitur* prudentes *ut* ſerpentes, *ſed* ſimplices *ut columbæ. Quot habetis ubivis* auditores, *tot invenietis ſive benè ſive malè affectos* exploratores. *Si ergo* Decimis *ſolummodò* illiberaliter inhietis, *nec* panem & vinum *cum* Melchiſedec *unquam in refectionem laborantium proferatis,* ſi benedicendi *provinciam detrectetis, &* annulo ad pompam, libro *ad* litigia, pileo *ad* licentiam, purpurâ *ad* inferiorum ſcandalum, ocreis *ad huc & illuc* circumequitandum, *poſthabito* munere, *neglecto* grege, *inflatâ ad ampliora tentigine, præpoſterè abutemini; non ulteriùs ipſe ob* detentas Decimas *vel* rapaciſsimum Patronum *veſtrâ cauſâ injuriarum poſtulabo*; *quin potiùs pœnitebit collatæ* dignitatis, *nec pro genuinis agnoſcet* Mater Academia. *Sin hæc omnia vos extimulent ad veram* laudem; *Et affluentia* Melchiſedec & benedictio, *& fœlicitas* Abrahæ, & altiſsimi *gratia vos ſemper prævenient, & ſubſequentur. Ecce vobis in conſpectu non* metuendus (*ut mihi videtur*) Adverſarius, *quem primo ferè congreſſu in* triumphum *ducetis. Nonne enim hic eſt* Fabri filius, *inter nos educatus, qui in tanta* corona *in* lucem *jam primo audet prorepere? Vnde Tali de* Scientia Media, *de* Satisfactione imputata, *de* Reſurrectionis myſterio, *tam recondita poteſt eſſe ſapientia? Efficite igitur ut conſtet hoc primo veſtro impetu, quàm* pileato *nudus,* purpurato *pullus, pedeſter* equiti, *unus* multis, *diſpari ſe committit monomachiâ; Et verbo ut concludam, quantum interſit inter meos* Doctores aureos, & Fabrum iſtum *ſaltem nomine tenùs* lignarium. Deo, Patri, Filio, & Spiritui ſancto, *ſit omnis laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum,* Amen.

Pileum.

Oſculum.

Matth. 10.

Reſp. Mr. Nath. Carpenter, B. T.

ORATIO VI.

INAVGVRALIS IN PROMOTIONE DOCTORVM PAVLI GODWIN. ROB. ROBOTHAM. THOMAE GODWIN. RICH. HALL. IO. HVGHES.

OXONII in Comitiis habita Anno 1621.

De Judæorum Vocatione.

ROM. II. VER. 25. 26.

25. *Nolo vos ignorare (Fratres) myſterium hoc (ut non ſitis vobiſmetipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo Gentium intraret.*
26. *Et ſic omnis Iſrael ſalvus fieret.*

QVod animalibus apud *Ezechielem* affingit haud ita nativè *textus vulgaris*, non *revertebantur quando ambularent*, cap. 1. v. 12. Illud mihi neceſſariò incumbit in hoc curriculo. *Procedendum* eſt (ut auditis) *Patres & Fratres* undiquaque *ſpectatiſſimi*, nec *Regrediendum*, vel ad dextram vel ſiniſtram *declinandum*, ne hiſce *Filiis* meis ſim impedimento; quos iteratò jam produco in conſpectum veſtrum, ut *procedant* & non *revertantur*. Et quoniam vix recurrit *annus* abſq; *novâ ſobole* & *errore*; ſic ut *Zizaniorum* unà cum tritico, & *meſſoribus*, promiſcuũ ſit incrementũ; inſtruendi ſunt, ſicut mihi perſuadeo, tanto ſolicitiùs *operarii*, ut immiſſi in *agrum Eccleſiæ*, eo promptiùs intelligant hujuſmodi diſtinguere. Notum eſt ferè omnibus, quomodo inter cæteras *fundi noſtri calamitates*, invaluit nuper *Iudaiſmus*, in *Doctorum* opprobriũ, & *Infirmorum* ſcandalum. Tres circumvolitant hac de re ſententiæ. *Inſanientium*, qui *revocanda* cenſent eſſe *legalia*. *Somniantium*, quibus *Iudaicæ thronus monarchiæ* & *templi fabrica* natant ſemper in cerebro. *Zelotarum*, qui neſcio quam *ſublimatam Doctrinam*, & *Doctores* plus quam *Angelicos* & *Seraphicos*,

à

à convertendis propediem expectant. Ista autem ut contractiùs hoc tempore examen subeant, fundamentum mihi erit *præcipuum* ipsorum fulcrum. *Nolo vos ignorare Fratres Mysterium hoc.*] Vocationem aliquam *Judæorum* hinc omnes eliciunt. Prædicat hanc siquidem *Apostolus* ut *Mysterium*, & ut *Mysterium* non *ignorandum*. Verùm an ita *Evangelium* reciperent, ut legi præsertim *cæremoniali* nuncium non remitterent; vel *primatum* in omnes *gentes* obtinerent, vel per ipsorum prædicandi *modum sublimiorem*, plenitudo *Gentium* intraret, ad totius Ecclesiæ consummatissimam perfectionem; Ista sunt quæ in transcursu (prout postulat præsentis instituti ratio) breviter à me sunt attingenda.

2 Ac de legalibus præmissâ illâ notâ distinctione in *Judicia, præcepta, & cæremonias*. De *Judicialibus* rectè cum *Patribus* asserunt *Scholastici*, ad 1. 2. *Aquin.* q. 104. art. 3. non *instituta ista fuisse ad figurandum, sed ad disponendum tantùm statum illius populi, qui ordinabatur ad Christum*. Per ejus igitur *adventum* obligationem prorsus amiserunt, non quòd ipsorum simplex *observatio absolutè*, sed observatio cum *necessitatis conscientia* præjudicat *veritati fidei*; quia inde invalesceret *persuasio* populi *Judaici* statum adhuc durare; & *Christum* nondum *venisse*, ut cum *Scholasticis* dilucidè ostendit noster *Zanchius*. Nec est quod scrupulum injiciat *Augustini* illud adversùs *Faustum Manichæum, lib. 22. cap. 24. Totum illud Regnum Judæorum magnum quendam fuisse Prophetam*; quia illud non ex *se*, sed ex *consequenti* tantùm in *Iudicialibus* veritatem obtinet. Quatenus non *verba* solùm, sed *& gesta istius populi illustria Messiam plerumque indigitabant; juxta illud Apostoli, Omnia in figuram ipsis contingebant.* 1 Cor. 10. Nec de *moralibus* restat *operosior* inquisitio. Ista siquidem non obligabant post *Christi adventum* ex *præcedanea* aliqua *institutione*, (ut concors est omnium insignium *Theologorum* consensus, proclamante *Zanchio*) sed quatenùs *legi naturæ, tam gentibus* quàm *Iudæis communi, consentiunt*; & *à Christo explicata sunt*, & *confirmata in Evangelio*. Unde diversimodè *Gentes* & *Iudæos* convincit *Apostolus*; Has per *Naturam*, Illos per *Scripturam*, ad Rom. 1. Quia qui *sine lege* peccâssent, etiam sine *lege*; & qui in *legem*, per *legem* essent damnandi. ib. c. 2. Rationem reddunt *Scholastici* ex 8°. ad Heb. quoniam ex *mutatione Sacerdotii, necesse erat ut sequeretur Legis mutatio*. Quam quidem doctrinam si bene *perspectam* habuissent inter nos præcipites nonnulli *Sabbatharii*, non tam periculosè urgerent *Sabbathi nomen*, & *observantiam*, ex *Iudæorum lege* & *praxi* ad *Christianorum* carnificinam; sed quærerent potiùs ex *Evangelio* quid *Sabbathi Dominus* per *Apostolos* & ipsorum *Successores*, de *diei Dominicæ celebratione*, ad *sanctorum communionem*, & *libertatem Christianam* sartam tectam conservandam, exactiùs præcepissent. Quisquis enim diem illum observat, *sicut litera sonat, carnaliter sapit* (inquit *Augustinus*, de *Spiritu & lit.* cap. 14.) Et sanè videmus (addit *Calvinus*) 2. *Institut.* in 4. *præceptum, quid tali doctrinâ profecerint*. Qui enim *eorum constitutionibus harent, crassâ carnalique Sabbatismi superstitione Iudæos ter superant*. Sed de istis forsàn ulteriùs *suo loco & tempore*.

3 Ad *Cæremonias* transeo sub *Sacrificiis, Sacramentis, Sacris, & Observantiis* comprehensas. Istæ autem cum *umbræ* tantùm essent *futurorum*, quæ *oborto* veræ justitiæ *Sole* penitùs evanescerent: non defuerunt tamen *Recutiti*, qui illas amplecterentur, aut insensati *Galatæ* qui dispari *conjugio* easdem cum *doctrina Evangelica* copularent. Inde *Concilium* illud celeberrimum

Deut. 6. חקים מצוה משפטים

Tom. 4. lib. 1. de lege. cap. 10.

Ibid pag. 223. Rada Cont. 20. art. 2 in 2. sent.

Gal. 3.

berrimum *Act.* 15. & divinæ istæ *Apostoli* ad *Romanos* & *Galatas Epistolæ*. Et quanquam inter *Petrum & Paulum*, *Hieronymum* & *Augustinum*, *Aquinatem*, & *Scotum*; de earum *honestâ sepulturâ*, *Apostolorum praxi*, aut *abrogationis tempore*, leviculæ interceſſerunt velitationes; *Petrum Iudaizantem* reprehendit *Paulus*, ſimulationem adverſus *Auguſtinum* defendit *Hieronymus*, *Aquinas* figit periodum in *cruce*, *Scotus* poſt *debitam promulgationem*, ut ex cap. 2. ad *Galatas*, *Epiſtolis* de *officioſo mendacio* inter *iſtos Patres*, & ex *Rada* controverſia 20ª. inter *Thomam* & *Scotum* apertè liquet: *Conſtans* tamen permanſit *de re controverſa conſenſus*, & illuſtrior ex conflictu emicuit *veritas*. Scilicet ante *paſſionem Chriſti*, neque *mortiferas* illas fuiſſe, nec *mortuas* poſt *paſſionem*, ſed ante *promulgatum* per Apoſtolos *Evangelium*, *mortiferas* quidem pro *tempore* non fuiſſe, utcunque *mortuæ*; inde poſtea evaſiſſe & *mortuas* & *mortiferas*. Quod & egregiè oſtendit *Groſtedius* noſter in prima parte de *ceſſatione legalium*, reliquique omnes *cujuſcunque cenſûs* ſanioris ſincipitis *Theologi*: Ut ſcuticis digni ſint & *ſtigmate*, *fanatici blaterones*, qui audent aliquid reponere. Eccè *ego Paulus dico vobis ſi circumcidimini*, *Chriſtus vobis non proderit. ad Gal.* 5. & 2. Unde *legalia currere cum Evangelio*, ut hæreſin damnârunt *Canoniſtæ*. Extra *de Baptiſmo*, & ejus *effectu* cap. *Majores*. Ubi & *ceremoniarum Magiſter Innocentius*, *Abſit* (inquit) *ut in illam damnatam hæreſin incidamus*, *quæ perperàm affirmat legem cum Evangelio*, *& circumciſionem* cum *Baptiſmo ſervandam*. Neque *Jacobita* aut *Abyſſini* qui *circumcidunt* hodiè, & *Baptizant*, *Iudæos* aliter reſpiciunt, aut *circumciſioni* multùm tribuunt. Non ex talibus igitur *Muſcetè* educenda eſt *Iudæorum laureola*; aut *egenis elementis*, hoc de quo loquitur *Apoſtolus* inſtaurationis *myſterium*.

Tom. 2. Hieron, & Aug.

Aq. 1. 2. q. 103. a. 4.

4 Sequuntur *Monarchici* ex *Cerinthi*, *Nepotis*, & *Chiliaſtarum* ſchola, quos pudet *legalia* nimiùm *urgere*, ne *politiæ* (quam ſomniant) eſſent *auori. Zebedæi uxorem* & *filios* tale aliquid foviſſe conſtat. *Mat.* 20. Nec abluſit Diſcipulorum poſt reſurrectionem *Quæſtio*, *Domine*, *an hoc ipſo tempore reſtitues regnum Iſrael*, *Act.* 1? Sed divertunt *Servatoris* reſponſa. *Neſcitis quid petitis*, & non *eſt veſtrûm nôſſe tempora & momenta*, quæ *Pater poſuit in ſua poteſtate*, ſed accipietis *virtutem ſuperveniente Spiritûs Sancti in vos*, *& eritis mihi teſtes in Jeruſalem*, *& in omni Judæa*, *& Samaria uſque ad ultimum terræ*. Eritis, inquit, *teſtes*, non *Reges*; de *Regno* quærunt, ablegat ad *miniſterium*. Sed *cæco* & *ſanguis* affigitur ſemper natali glebæ, & *coronam* tantùm cogitat *Servatoris*: nec animadvertit quòd fuerit *ſpinea*. Hinc furioſi iſti *Theudæ* cujuſdam *Magi*, & *Iudæ Galilæi* in diebus *proſcriptionis* conatus; de quibus *Act.* 5°. Somniabant ſiquidem hoc *regnum Iudaicum*, nec dubitabat *Theudas* polliceri ſe per *Jordanem* verbo diviſum, tranſitum ſuis *proſelytis*, ad omnia felicisſima patefacturum. Quid dicam de *Bencochab* præſtigiatore alio, ſub *Adriano*, cum penè *centenis* ſuorum *millibus* è medio ſublato? Annon egregiè promovit hoc regnum Judaicum? *Nihilominus Haienno Malcha Meſchicha*, hic ſcilicet *eſt Rex ille Meſſias*, Vociferatus eſt *Rabbi Akibba*, viginti quatuor millium Diſcipulorum tunc temporis *Magiſter*; Qui tamen in *Barcozebb*, ſive *cuzibba*, de ſua ſphæra deturbatus, miſerè poſteà evanuit. Conſimilem refert *Socrates* de *pſeudo-Moſe* hiſtoriam, qui *Iudæos* è *Creta* per *mare mediterraneum* in *Paleſtinam* (ut *verus Moſes*, antea ipſorum Patres, per *mare rubrum*) transferret. Sed obſtiterunt *rebelles fluctus*, in quibus omnes fuiſſent *ſuffocati*, niſi *piſcatores*, & nonnulli alii *Chriſtiani*, qui fortè tunc aderant, quamplurimos *ſemianimes*

Ioſeph lib. 20. c. 14. Buxdor. ſynag. Iud. cap. 36. pag. 513.

Lib. 7. cap. 37. & Niceph. lib. 14. c. 40. & 41.

mes & palpitantes, in aridum extraxiſſent. Ita quovis penè *ſeculo*, protrahitur rurſus in *ſcenam* hoc de *regno Iudaico Drama*; ac ſi aliquid lateret *myſterij* ſub deteſtando iſto de *duplici Meſſia* delirio, quo *Iudæi* laborant *hodierni*. Quorum primus fuit *Ben-Ioſeph* è ſtemmate *Ephraimito*, *Manaſſæo*, & *Benjamitico*, humilis & contemptus, qui jamdudum eſt è medio ſublatus; ſed expectandus eſt alter *Ben-David invictiſſimus*, & *magnificus*, qui *Armillum* iſtum *Haraſcha*, *Antichriſtum bicipitem*, unà cum ſuis omnibus ad internecionem uſque delebit, *Meſſiam Ben Ioſeph* è mortuis reſuſcitabit, *Templum tertium eriget*, ſolium *Hieroſolymis* ſtabiliet, milites ſuos magnificentiſſimo excipiet *convivio*, in quo *Bos* iſte immenſus *Behemoth*, Piſcis *Leviathan*; Mas, *recens*; ſed Fœmella ſalita, *Avis Barinchne*, unà cum vino ſatis *meraco* ex *Adami Cella Paradiſiaca*, ſuis cõmilitonibus apponet. At nunquid *Chriſtiani* aliqui ſic inſaniunt ut tali agantur vertigine? Non aſſero. Interea tamen deſpiciendum quàm *propè* accedunt. Affirmant enim hanc *ſtupendam Iudæorum converſionem* poſt initium *regni Turcici*, annis 350. præciſè eſſe *inchoandam*. Educunt deinde *converſos* è neſcio quibus *orientis regionibus*, ſic ut per *Euphraten* miraculo *exiccatum*, tranſitus ipſis pateat. Committunt ipſos poſteà cum *Turcico exercitu*, non procul à *Ieruſalem*, ubi *Sultanus* ipſe 1°. cadet, & *exercitus* ipſius poſtea: juxta *lacum Geneſareth* 45. annis poſt *primam converſionem*; quod eliciunt ex *Ieremia* 31. ver. 22. *Fœmina circumdabit virum*, hoc eſt, imbellis *natio Iudaica*, *Turcam ſuperabit*. Stabilietur deinceps *regnum Hieroſolymis* glorioſiſſimum, ſub quo omnes tribus unientur. Fertilior erit *terra*, quàm quando antiquitùs *lacte* & *melle* diffluebat. Tam amplum erit *dominium*, ut non ſolùm converſi (ipſorum exemplo) *Ægyptii*, *Aſſyrii*, & patentiſſimi *Orientis* tractus; ſed etiam in *Occidente*, *Chriſtiani*, ſponte ſe illis ſubjicient; & *primatum* agnoſcent. Siquidem per ipſorum præcipuè *prædicationem*, intrabit *plenitudo Gentium*, de qua *textus* loquitur. Quam accipiet demum *mundi conſummatio*, juxtà illud, *Non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant*, Mat. 24.

5 Hujuſmodi excitârunt afflatus *radices Hebraicæ*, ſine *grano ſalis* à nonnullis ingeſtæ. Sed nunquam defuerunt tales (ut rectè monet *Caſſiodorus*) *qui putant eſſe laudabile, ſi quid contra antiquos ſapiant, & aliquid novi, unde periti videantur, inveniant. Illud, donec ſenſus humanus, & ſermo illos deficiant, non deſinunt urgere*, (ut obſervat *Hieronymus*) idque διὰ τῦ κενολογεῖν μᾶλλον ἀμαθεῖς, ut author eſt *Ioſephus*. Poſt *Johannem Potadunum præcurſorem*, (quem poſt tot annos, neſcio è quo gurguſtio, *Colonienſes* nuper nobis delinearunt) expectanda fuit aliqua *Iudæi* innovatio; quam doleo *viros* alioqui ſatis *doctos*, & *orthodoxos* tanti facere, ut *Eccleſia* commendatam cuperent. Inſpiciat enim (cui vacat) quæ ex *Scripturis* accumulant, ad ſtatuminandam *iſtam Monarchiam*, teſtimonia. Quiſquamne eſt qui ex collatione *Danielis* 7^i & v. 25. 12^i. ver. 7^i. & 11. cum 15°. ver. *Apocalypſeos* 9. calculum ipſorum eliciet, quo poſt annos 350. *Regno Turcico* figeretur periodus? *Ego quidem audivi* (inquit *Daniel*) & *non intellexi*, ſcilicet illud de *tempore, temporibus, & dimidio temporis*: & ego ipſorum lego interpretamenta; Sed (ut apertè dicam) vel nihil *ſolidi* in ſe continent, vel captum meum longè ſuperant. Nam ex quibus *Caucaſi crepidinibus*, vel aliis *Orientis plagis*, tot *Iudæos* confluxuros exiſtimem, qui juſto excipient prælio *turmas Ottomanicas*, quibus occurrendo vix ſunt *uniti Principes Chriſtiani*? ſub cujus ditione jam latent tot *expectandi* propediem *Heroes*? Quis erit

Synag. Iud. c. 36.

Libell. Abba Rochel.

Dan. 7. 25. 12. 7, 11. Rev. 7. 15.

Rev. 16. 12. Eſa. 11. 51. & 10, 11. Ezech. 39. 11. Rev. 9. 15. Dan. 12. 12.

Ezech. 37. 22, 24. Hoſ. 1. 11. Vide loca citata ab authore de vocat. Iud pag. 5.

Inſt. lib. 1. c. 11.

In c. 5. Eſaiæ. Cont. Appion. lib. 1.

Imperator inter eos ex *ſtirpe Davidicâ*, cujus *poſteri* perpetuâ ſerie, ad clavum iſtius *Monarchiæ*, uſque ad finem ſeculi fœliciſſimi ſedeant? In qua Academia *Armenica*, *Chaldaica*, *Arabica*, *Perſica*, *Indica*, *Tartarica*, vel *Chinenſi*, inveniantur tot *Doctores*, qui ad fidem *orthodoxam* tam *numeroſam* transferant *multitudinem*? Jam verò quod de *exiccatione Euphratis*, exponunt cum *Brightmanno noſtro* ad literam; Si myſticè quis interpretaretur cum *Sereniſſimo Rege noſtro*, *Pareo doctiſſimo*, *Bullingero*, *Aretio*, *Illyrico*, & ante 260. annos *Anonymo* quodam *Parcano*, de facili *irruptione Orientalium*, ad regnum *beſtiæ Occidentalis* radicitùs ſubvertendum; ſubductis ipſi antea per varias plagas, *vectigalium* & *nundinationum* profundiſſimis *alveis*; Quid habent quod vel probabilitèr ſaltem reponant? Convenit alluſio; ut *Cyrus à Babylone Chaldaica* divertit *Euphratem*, per *effoſſos canales*, quo faciliùs ipſum expugnaret, ſicut teſtantur *Xenophon* & *Herodotus*: ita exiccatis per *varios* repetundarum *alveos* myſticæ *Babylonis* gurgitibus, quàm expeſita erit præda *Orientalibus*, ut faciliùs eam diripiant? *Orientales* autem iſti erunt *Turcæ*, & qui horum ſequuntur caſtra, ſi obtineat probatorum interpretum conjectura *Judæis converſis*, hoc aſcribunt ipſorum *Cauſidici*; Utri creditis? Prophetia obſcura eſt, quæ citiùs *forſan* implebitur, quàm *intelligetur*. Annon præſtaret igitur ἀπέχειν, vel prorſus *ſilere*, quàm tam *vertiginoſas theorias*, pro oraculis populo nimiùm credulo venditare? Nec ſolidiùs illud tinnit, de redivivâ terræ *fertilitate*, de victoria ad *lacum Geneſareth*, de *Unione* tribuum *politicâ*, de fœderatis *Ægyptiis* & *Aſſyriis*, de *primatu Regis*, & aliorum *Principum obſequio*; quia ex textu talia *nullum* eliciat artificium: ubi *cæleſtia* per *terrena*; ſpiritualia, ſub *temporalibus*; *futura* per *præterita* more *Prophetico* adumbrantur. *Judæi* & noſtri *Judaizantes* (inquit in *proœmio* 6ti. libri Commentariorum in *Hieremiam Hieronymus*) in *conſummatione mundi has complendas eſſe putant myſticas repromiſſiones. Nos autem ſequentes authoritatem Apoſtolorum & Evangeliſtarum, & maximè Apoſtoli Pauli, quicquid populo Iſrael carnaliter repromittitur, in nobis ſpiritualitèr completum eſſe monſtramus.* Quo nomine *Judaizantem Nepotem*, perſtrinxit acritèr *Euſebius lib.* 7°. *hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 24. & *Epicurum* illorum exponendi *modum* à *Dionyſio Alexandrino*, egregiè fuiſſe profligatum oſtendit. Conſentiunt *Scholaſtici* ad 3. ſent. diſt. 4ta. & 1. 2. q. 99a. art. 6to. Ubi fuſè oſtendunt methodum hanc eſſe *Spiritûs Sancti*, per *terrena* hujuſmodi quibus afficimur, ad *cæleſtia* quò aſſurgendum eſt (ut pueros munuſculis) omnes ſuos manuducere. Poſtremò, an *Regnum iſti* expectabant in hoc mundo glorioſum, quorum *Dominus* profitetur *Regnum ipſius non eſſe ex hoc mundo*, & ſe *ſubducit* à *turba* ne *Rex terrenus* crearetur? Ego non capio, qua ratione iſta cohæreant: In mundo *preſſuram habebitis*, & tamen ſub *Monarcha Hieroſolymitano* triumphabitis. Statim *poſt afflictionem dierum illorum*, obſcuratis *Sole* & *Lunâ*, & concuſſis cœlorum *poteſtatibus*, videbimus *Filium hominis venientem in nubibus*; Et fervebit interim *Aula Judaica*, conviviis, *Ahaſueri* feſto protractioribus, & *ludis ſecularibus*? Perpetua erit uſque ad *finem deſolatio*; & *Templum* rurſus *ædificetur*? Tædet tam *diſſona* inter ſe conferre. Quare ut *falſi teſtes*, quod Chriſtus intellexit de *Templo corporis*, de *corpore Templi* urgebant: ita hallucinantur *Monarchiſti*, dum regnum quærunt in *Paleſtina*, quod inter *ipſos eſt*, & in *futuro* reſtat *ſeculo* ſolummodò perficiendum.

Jo. 18.

Jo. 16.

Mat. 24.

6 Detractis igitur iſtis ſive *Legalium larvis*, ſive *regni terreni phaleris*, reſtat

reſtat *tertio* in *loco* ut *myſterium* penetrantiùs inſpiciamus. Neque enim ſatis eſt *alienas deſtruere*, niſi fixiùs aliquid ſtatuamus. Duo autem de *Judæis*, ſine velamine proponit *textus*. Primum, *aliquos* ſubinde *vocatos* iri, & *Evangelio* credituros; quod verba expreſſè indicant, *cæcitatem ex parte contigiſſe Iſraël*. Alterum, *de toto*, expectandum eſſe *aliquid illuſtrius*, poſt *introductam Gentium plenitudinem*. Hoc enim non vult *Apoſtolus à Gentibus* ignorari; ne ſecundiori elati conditione, apud ſeipſos *nimium ſaperent*, & *obduratis* contumelioſè inſultarent. Aperit autem hoc ut *inſigne myſterium*, quod *effectum* nunquam *ſortiri*, vel *obvium aliquid*, ſub magnificis verbis obtrudere, *Dignitati Apoſtolicæ* parùm conveniret. Manifeſtò opponit *totius Iſraël ſalutem*, obdurationi *ex parte*. Iſtam prædicit *futuram*, hanc, ut præſentem deplorat. Adde quod illud in textu ἄχρις οὗ, *quousque* ſive *tantiſper* dum, intervenit ut *communis terminus*, qui oſtendit quando hæc inſtauratio ſit futura. Nam *ſi pro eo, ut introiret Gentium plenitudo, cæcitas facta eſt in Iſrael* (inquit *Origenes*) pro *omnibus quæ fecerunt*, ſine *dubio cum ingreſſa fuerit Gentium plenitudo, cæcitas ceſſabit*. Subdit tamen, *Quis autem ſit omnis iſte Iſrael, qui ſalvus fiet, & quæ erit plenitudo etiam Gentium: unus ſolus novit, & unigenitus ejus, & ſi qui fortè amici ejus ſunt; Ad quos dicet, jam non dicam vos ſervos, ſed amicos, quia nota feci vobis omnia quæ audivi à Patre.* Habemus igitur *totum Iſraelem*, poſt *collectum* Gentium è Deo prædefinitum *numerum*, à diuturna *obduratione*, & tremenda *abjectione*, eſſe revocandum: ſed de *modo*, *medijs*, aut *fine*, quibus hoc fieret, inter *Doctos* non ſatis convenit. Sunt qui *Iſraëlem* allegoricè hic exponunt, pro *Dei Populo* ex *Gentibus*, & *Judæis* collecto; & ſufficere exiſtimant ad *Apoſtoli vaticinium*, ſi ex *Judæis aliqui*, ſubinde quovis *ſeculo* ad fidem convertantur. Sic *Bucerus*, *Melanchthon*, *Faber*, *Oecolampadius*, *Calvinus*, & omnes ferè *Lutherani*. *Selneccerus* habet illos pro *Fanaticis*, qui aliter ſentiunt. Sed *dilutum* hoc nimiùm videtur, & *Apoſtolico myſterio*, aut *ſcopo*, parum conſonum. Nam quale eſt *arcanum* indicare, quod incurrit in oculos? Non *novum* erat, aut *rarum*; aliquos tam ex *Chriſtianis*, quàm *Judæis*, ad oppoſita caſtra tranſire. Nec improbabile erat, quin illud *quovis ſeculo* contingeret: Nunquid igitur hoc tantùm voluit *Apoſtolus*, Aperio illud ut *Myſterium* quod nemo *poteſt ignorare*, *nonnullos e Judæis* in poſterum convertendos, ut nunc convertuntur? Unde non oportet illis inſultare, quia *nonnulli* ex *illis* ad *electionem* pertinent. Si iſta ſit *myſterij profunditas*, cur toti *Iſraeli* quod *vix parti* competit, accommodat? Cur cum *plenitudine* confert *Gentium*, ac ſi inter harum, & illorum *vocationem* intercederet Analogia? Ergo nil aliud ſonat hic *totus Iſrael*, quàm πλήρωμα, πρόσλημψιν, ζωὴν ἐκ νεκρῶν; quod *anguſtum* nimis eſſet, de *paucis* interpretari, cum *ſcopus* ſit *Apoſtoli inſigni* aliqua *converſione*, *Gentilibus* os obſtruere, qui *Judæos* ut immedicabili πτώσει laborantes, ſupercilioſiùs aſpernabantur. V. 11. 15.

7 Accommodatiùs ergo ad textum, *univerſalem*, ſive *nationalem* urgent alii *vocationem*. Non quæ *cunctos* intercipiat; ſed *Tot*, & tam *illuſtres cœtus*, quibus adaptetur jure *totius Iſraelis* denominatio. Verùm inter hos etiam obſervandum eſt *ſententiarum divortium*. *Papicolæ* ſic ſubducunt calculos, ut *Henoch* redeat cum *Elia*, è *Paradiſi pomarijs*, ad opus hoc peragendum, & *Judæos Antichriſto* nimiùm affixos, ad fidem Chriſtianam transferendam. Operoſè hanc aſtruunt præ cæteris ſententiam, *Bellarminus*, *Leſſius*, *Suarez*, *Malvenda*. Sed quàm *torpidum* ſit febricitantium *inſomnium*, *Vid. Downam de Antichriſt. part. 2. ad Demonſt. 15. 605. ad Marcel. Tom. 3 pag. 138.*

Vid. Auguſt. de civit Dei, lib. 20 cap. 29 & Eſtium in 4. ſent. diſt. 47. parag. 12.

inſomnium, & *carnalis* (ut loquitur *Hieronymus*) *interpretatio*, vel *ſtructura* indicant *Regiæ*, quas obiter exhibuit *monitoria præfatio*. Nec mirum eſt *Patres*, ex Papiæ næniis, & *corruptâ verſione Græcâ* deceptos, inconſtantiùs paulò de hac re ſtatuiſſe, Prævidere ſiquidem non potuerunt, tales ex *ore Beſtiæ* egreſſuros poſtea *Ranunculos*, qui quaſvis *Fabulas aniles*, ad thronum ſui *Abaddon* ſtabiliendum, veteratoriè torquerent. Reſtant poſtremò ii qui *Nationalem Vocationem* expectant. Sed media quibus fiat, non *uno modo* definiunt. Inter hos enim, non parvi momenti eſt diſſenſus. *Author libri Anglicani* nuper editi, *plenitudinem* facit *Gentium*, *converſione Iudaica poſteriorem*; ut videre licet pag. 177. quod textui hîc penitùs repugnat. Nam cæcitas incumbit *Iſraeli*, donec *Gentium intret plenitudo*. Plenitudo igitur *Gentium*, non dependet (ut iſti hariolantur) à *Iudæorum converſione*, ſed viam potiùs ipſi ſternit, ut ſequatur. Rectiùs igitur alii poſt *deletam Romanam Idolomaniam*, & è medio ſublatis *Mahometiſmi* blaſphemiis; Judæos arbitrantur, oculos ad *montes Scripturæ* elevaturos; Unde *Spiritu* intùs illuminante, lucem & ſalutem conſequantur. Hanc ſententiam, quæ *legalia* averſatur ut *mortifera*, *Monarchiam* declinat ut *aëream* ſive *Utopicam*, nec ſufficere putat ad *Apoſtoli myſterium*, ſi quovis *ſeculo*, *unus* vel *alter Iudæus*, ad fidem *Chriſtianam* accedat; nec probat in expectanda iſta *generali vocatione*, *Henochi* & *Eliæ reditum*; nec præponit iſtam *plenitudinem Gentium*, ſed ut textus dirigit, *poſtponit*; amplectuntur inter Antiquiores *Chryſoſtomus*, *Hilarius*, *Auguſtinus*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, *Aquinas*, *Scotus*, *Cajetanus*, & quamplures alii, niſi quòd de quibuſdam *acceſſoriis* nonnunquam abundabit unuſquiſque ſuo ſenſu. Defendunt verò inter recentiores *P. Martyr*, *Beza*, *Grinæus*, *Parcus*, & in *Hexapla* ſua doctiſſima *Commentator* è noſtris *copioſiſſimus*. Nec video quid ſolidè poſſit opponi. *Filius* (inquies) *hominis* cum *venerit* num *reperturus eſt fidem* in terra? Non *adeo frequentem proculdubio* in *cordibus Iuſtificatorum*, quàm *natantem* in labris *hypocritarum*. Ecquid enim raſum videtur, inter *Profeſſores plurimos*, non adeo *multos* ſinceros inveniri? Cum ex *vocatis multis*, *pauci* ſubinde *eligantur*? At tamdiu regnabit ὁ Ἄνομος *donec abſumatur ſpiritu oris Domini*, in illuſtri illo ſuo adventu. Quî fieri igitur poteſt, ut inter *Antichriſti excidium*, & *mundi finem*, tam celebris intercedat *Iudæorum vocatio*? Facillimè, cùm in *momento ſpiritus* ipſum non conficiet, ſed *gradatim*, & *adventus* dicatur *illuſtris*, non *plena* ſtatim *præſentis majeſtate*; ſed *præmiſſis* appropinquantis *radiis*. Interim *quando* & *quomodo* implendum illud ſit, quod hic prædicit *Apoſtolus*, non requiritur forſàn ut nos ad amuſſim teneremus, quia eſt *myſterium*. Id agendum potiùs ſolicitè, ne noſtra converſatio, *obduratis* iſtis *Iudæis* ſit ſcandalo, qui plerumque ex *Profeſſorum vita*, doctrinam æſtimant; Nec perſuaſum habeant illos *de Deo rectè ſentire*, qui tam *licenter* ipſius *præcepta violant*. Nam quî fieri poteſt, ut inter *Pontificios* maxima ex parte verſantes, & ex quorum *horrenda Idolomania Chriſtianiſmum* æſtimant; non *occalleſcerent* potiùs indies, quàm *oculos* ad lucem aperirent? Vident ſiquidem quotidie *ſacrificulos*, proſtratos coram *pane*, vel *metallo*, vel *lapide*, vel *Trunco*, quod non injuriâ ut *Nehuſhtan* & *Patrum ipſorum ruinam*, toto pectore deteſtantur. Innoteſcunt ipſis *reliquiarum* & *miraculorum* impoſturæ, *indulgentiarum* nundinationes, *Religioſorum* ſchiſmata, *Prælatorum* ſuperbia & luxuria, *Papatûs* Tyrannis & aucupium, quod obſervant cum lege *Dei morali* è diametro pugnare. Poſtremò *Pauci ſunt*, qui commodè poſſunt

2 Theſſ. 2.

poſſunt eos inſtituere, vix *plures* curant, *omnes* fere ip os onerant *contumeliis*, deprimunt *tyrannide*, ſuperant etiam (& in ea quæ excellunt negotiatione) *fœnerandi carnificinâ*. Quid mirum igitur eſt, *myſterii* hujus *impletionem*, tardiùs hodiè procedere; & *velamen* adhuc manere? *Cæci* & *obdurati* multi ſunt, ſed ubi ſunt *Chriſtiani* quos æmulentur, ut detractis (ſicut à *Pauli oculis*) pervicaciæ ſquamis, *illum quem crucifixerunt*, oculis pœnitentiæ, lachrymis diſſluentibus, intuerentur? Nec exiſtimaverim interea illos, poſt talem *Converſionem* ſeceſſionem à *Gentibus* facturos, ut vel *Palæſtinam* rurſus poſſideant, vel *ſeperatam ibi*, vel *alibi*, erigant *Eccleſiam*; quinimo *eos*, cum *illis* potiùs crediderim *coalituros*, à quibus, aut inter *quos* erant converſi, in *Germania*, *Germanicæ*; in *Hiſpania*, *Hiſpanicæ* (& ſic in cæteris) adhærentes Eccleſiæ. Quod ut non ſperandum eſt de ſingulis, ita optandum quidem erat de univerſis. Non enim invidemus eis *Regnum* quàm *florentiſſimum*, (ſi ita Deo viſum fuerit) ſed negamus hoc conſtare ex ſacris literis; nec æquum eſſe ducimus hos vel alios vanâ ſpe lactare. Atque hæc ſi *naturalium* ramorum ſit conditio, tu qui *inſititius* es, ne *effertor animo*, nec depereas *regnum* in *carne*, quod expectandum tantùm reſtat in *Termino*. Regale quidem ſumus in hoc mundo *Sacerdotium*, ſed ad *virtutes* ipſius annunciandas, *qui nos è tenebris vocavit in admirabilem hanc ſuam lucem*, non ut *Anti-Chriſto* pleni, & mundo, colla *Regum*, vel *fratrum*, noſtris crepidis ſubderemus. Et nunquid amplius hic *Judæis*, adductus ab *Apoſtolo* promittit textus? veniet è *Sion* ille *vindex*, ſed quid præſtabit? *averſet impietates à Jacobo*, *Regnum terrenum* non conferet: ex *pacto auferet peccatum*, & *cæcitatem*, ut cum *fidelibus* uniantur; non *ſceptrum* porriget, ut in illos *Dominium* exerceant. Siquidem nova *Hieruſalem* non habet *Templum*, nec *Regem terrenum Turcarum* & *Chiliaſtarum* ſunt iſta *deliria*, qui *Paradiſum* ſomniant futurum, ut omnium *deliciarum Lupanar*.

8. *Atque iſta ob oculos ponunt* (dilecti Filii) *quid à vobis in* hoc *quod intratis* ſtadio, *ſit faciendum*; *& in poſterum*, *quid ſit* expectandum. *Non enim* purpura *quam induiſtis*, *vos inflaret*, *ac ſi* Doctoratus *eſſet* gradus *ad mundi* faſtum *&* pompam *iſtæ ſunt* immunditiæ, *quas operit* Babylonicæ meretricis purpura *Purpura* Servatoris *ad* ludibrium, *&* corona ſpinea, *ad curas compoſita*, *ſunt à vobis potiùs attendenda*. *Diabolus ſpondet hujus* mundi gloriam; *At ex* calcatione Torcularis, *dum à* torrente bibit in via, Regis gloriæ veſtimenta *contrahunt rubedinem*. *Iſta autem ut firmiùs hæreant accipite in hoc* ſacro ſancto *quem vobis trado*, libro, *totius veſtri progreſſûs* Itinerarium. *En quàm* Genealogia *hic ab* exule Adamo, *per* ſubſtitutum Sheth, *&* miſerum Enoſh, *gemens quaſi*, *& inter varias* Cainitarum *preſſuras* ſingultiens, *ad* Noachi *anhelat* Refrigerium! *Quàm*

Purpura. Apoc. 17.

Matth. 4. Iſai. 63. Pſ. 110.

Liber.

ſub Patriarchis *deinceps inter* Cananæos & Ægyptios, *duriſſima patitur* Eccleſia, *priuſquam ex* ardente Rubo Moſes diploma accepiſſet? *Quid in ſequentibus? Annon tremenda* Eremus, & *pericula, ducunt ad* promiſsionis terram; perducunt leones, urſæ, pardi, & cætera *hujuſmodi apud* Danielem monſtra, *ad* agnum illum Dei *qui* tollit mundi peccata? *ſic ut per* equorum ungulas, voces, & tonitrua, tubas, phialas, & Belluarum cornua; *ad* novam *tandem* Hieruſalem *ſit perveniendum. Iſta eſt* militia *in qua* certare, *eſt* ſpe (*quæ non pudefacit*) regnare. *Hanc autem ut animoſiùs aggrediamini, accipite* Annulum *in autoramenti* teſſeram *qui & Juſcepti* oneris, & honoris, *perpetuam refricat memoriam. Atque ut ulteriùs ſentiatis, quàm immenſum diſcrepat a* mundi hujus ſervitute, *hæc* regalis *veſtra* ſubjectio; *accedit* Pileum, manumiſsionis, & libertatis *indicium, quod non video quomodo non* capiti *æquè* quadraret, *ac humeris* pallium. *Quò audiendi minùs ſunt ij, qui* hoc detractum cupiunt, *ut tum ipſi ſe* hominibus *mancipârunt, cæteros liberiùs educatos, revocarent ad* eoſdem carceres. *Interim caveant ne* pallium Miniſtrorum *ſequatur* Doctorum pileum, *ſi de* Eccleſiæ *patrimonio*, ipſorum Domini *ferant ſententiam. Poſtremo ne tanquam* diſcalceati *circumcurſitent hi Filij mei, ut quidam inter* Anti-Chriſti locuſtas fraterculi, *aut* malè calceati *inter nos nonnulli* errones, *ocreis inſtructi huc venerunt, ac ſi ad* quodvis accincti negotium, *aut* obſequium, *ecce dicerent*, parati ſumus, mitte nos. *Et mittam vos* (Dilecti Filii) *ſed poſtquam* charitatis & pacis oſculo, *pro* more & amore Matris Academiæ, *in venerabilem* Doctorum *conſeſſum vos hoc modò admiſerim.* Incœptores *non eſtis amplius, ſed* Doctores. *In* Doctorum *medio* ſedit *olim* is, *qui* Ite, dixit, & annuncitate *fratribus meis.* Fratri *autem renuenti* ſuſcitare nomen, *huic* defuncti *uxor* expueret *in* faciem, & calceamentum propinquus *diſſolveret.* Frater *autem nobis* natu maximus *eſt* Ieſus Chriſtus, *uxor ipſius* Eccleſia; quæ *vice* oſculi, *expuet in ipſorum* faciem, *qui* defuncto *recuſant excitare* ſemen. *Et detrahendæ ſunt vobis* ocreæ *à* propinquis veſtris, *ſi munus tam ſeverè* injunctum, *perfidè detrectetis.* Domeſtica *habetis* exempla. Pergere, *eſt tantùm* ſequi; *Antiquos imitari,*

Annulus.

Pileum.

Ocreæ.

Oſculum.

Mat. 16.

Deut. 25.

imitari, patrizare. *Sin* hæsitetis *inter tot* diverticula, *cui* præcipuè *insistatis* tramiti, *ecce vobis* Alexandrum & Henricum, Doctorem Irrefragabilem, & solennem, *nomine saltem* unitos, *quicum deliberare potestis*, quæ fieri, *vel omitti* possint *salvâ conscientiâ*

Resp. Mr. Alexand. Harry. S. T. Bac.

Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, *sit omnis laus, honor, & gloria, in secula seculorum*, AMEN.

ORATIO VII.

INAVGVRALIS IN PROMOTIONE DOCTORVM Christ: Greene. Io. Tolson. Tho: Iackson. Tho: Benson: Io: Harris.

Oxonii in Comitiis habita Anno 1622.

De Sabbatho.

Levit: 19. Ver. 30:

Sabbatha mea cuſtodite, & Sanctuarium meum metuite: Ego Dominus.

REdit mihi in orbem (ut videtis, *Florentes Academici*, voſq; *eruditione & humanitate illuſtres Advenæ*) hoc aniverſarium *procedendi* penſum; quo vinctus (ut ita dicam) huic *Caucaſo*, jecur meum tot *Aquilis* neceſſariò eſt aperiendum. Tot agitata procellis, & à ſuis indignè habita, abortum (quod timendum erat) adhuc non fecit *Theologia*. *Ecce*, inquit, *ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus*. Et licet non *glorietur*, ut antehâc de πολυτεκνία; *ſolatur* tamen [illegible] in *liberis*, quorum *modeſtia* pollicetur nuditati operimentum. Mei *muneris* eſt (ſicut nôſtis) ut more loci *inſtructi* & *ornati*, poſt tot exantlatos *labores* honeſtè tandem dimittantur. Et quoniam *ſeptimus* jam decurrit *Annus*, quo in hoc *Olympico* certamine præmia diſtribuo; nec deſunt de *Sabbathiſmo* litigia, quæ *ferianti Eccleſiæ* jamdudum creârunt moleſtias; non intempeſtivum (ut ſpero) videbitur (*Patres* & *Fratres*) ſi de hoc argumento pauca præfarer; non ut quemvis pungam, licet erroribus non parcam; qui hinc *Atheiſmo*, illinc *Iudaiſmo*, nimiùm obſervantur favere.

Heb. 2.

vere. Atque ut à *fonte* noto & illimi deriventur, quos ſectamur *rivuli*; Sit Textus *Levit:* 19. 30. quod cap. 26. 2. ad *majorem* proculdubiò *cautelam* eiſdem verbis repetitur, *Sabbatha mea cuſtodite,*] *Sabbathum*, non à שבע ſeptem, ſed à שבת *ceſſare, deſinere, quieſcere*, deducunt *peritiores*. Cognationem obſervatur habere cum שב *ſedere* & שבח *venerari, laudare*; quæ *uſum* ejus & celebrantium officium non obſcurè indicant. Inſtituti non eſt mei *gerras graculas* perſequi, *Plutarchi & aliorum*, qui à Σαβάζειν *ovare, tripudiare, exporrigere frontem*, arceſſunt etymon. Vel à Σαβάζιος *Baccho*, ſive ejus filio apud *Cœlium Rhodiginum*: unde *Sabbi Mænades* ſive *ſaliares* paſſim apud *Ethnicos*. Vel à סבבה, *lient*, quo laborantes *Judæi* præ cæteris in *Sabbathi* quiete affectabant refrigerium, indicante in *lib. de annis & menſibus Gyraldo*. Vel à *Sabba inguinum ulcere*, ab *Ægyptiis* ſic nuncupato, quod meritò irridet lib. 2. adverſus *Appionem Joſephus*. Notum eſt enim quàm vitiato canali, profluxerunt hujuſmodi à *vetuſtiore* Hebræorum *fonte*; qui *Bacchico* helluandi *ritu*, id tandem ſunt conſequuti, ut ipſius potius *Orgiis*, quàm Jehovæ cultui *Sabbatha* ſua deſtinâſſe crederentur. Iſta autem *Sabbatha*, vel *Annorum* fuêrunt, vel *Hebdomadaria*; Annorum, vel quovis *ſeptennio*, quo terra ipſa feriabatur; vel *anno* quolibet *quinquageſimo*, quo unuſquiſque rediret in *Jubilæo* ad priſtinam *familiam*, & *poſſeſſionem*. Occurrunt & alia ad minimum *quinque* hujus vocabuli in Scripturis *ſignificata*, de quibus explicatè *Hoſpinianus* de *feſtis Judæorum* cap. 3. Sed *Hebdomadarium*, quod in *Decalogo* præcipitur, cùm plurimis hodiè cedat in *Petram ſcandali*; non ingratum forſàn erit, *fluctuantibus* aliquid fixiùs de hoc ſeorsim percipere. Nil frequentius eſt in ore *Zelotarum*, in quovis ferè cœtu, quàm *Sabbatha* Domini inter nos *ſacrilegè* profanari; Quartum urgent & exponunt *mandatum* ad literam, ac ſi æquè nos ac *Judæos* obligaret. Congeruntur *Vet. Teſtamenti* omnes *textus* ad *arctiſſimam* hujus obſervantiam: unde invaluit inter nonnullos *ſuperſtitio*, de non *inſtruendo foco*, in brumali frigore; & non *coquendis cibis* ad pauperum refectionem, & hujuſmodi, quæ non tam *Chriſtianæ libertatis*, quàm *charitatis* & *miſericordiæ nervos* incidunt. Horum ut non retardem zelum, ſed ſi (fieri poſſit) in melius dirigam; *Tria* (prout inſtituti poſtulat ratio) de *Sabbatho* paucis percurram. Primum erit *Inſtitutio*; ſecundum *Mutatio*; tertium *Celebratio*: Unde cum cæteris intelligant hi mei *Filii*, quàm *libratè* incedendum ſit in hujus *capitis diſcrimine*; ne cum *profanis* à *ſiniſtrâ* diffluant, vel à *dextris* cum *cerebroſis* inſaniant.

Adenarius Cruciger.

Simpoſ. l. 4. ad fub finem. Liber 7 c. 15.

Levit 25.

2 Sabbathi inſtitutionem omnes ad *Deum* referunt, qui de *Deo* vero omnium creatore, & gubernatore ex verbo ipſius verè ſunt inſtituti. Sed de hujus *inſtitutionis primordio, & promulgatione*, non ita inter perſpicaciores convenit. Quidam *Sabbathi proſapiam* à primis naturæ arceſſunt naſciis; ubi Deus *diem ſeptimum* peculiari *benedictione & ſanctificatione* coronavit, Gen. 2. Unde meritò quærat quiſpiam, num *ante Legis promulgationem* Sabbathum *de jure naturæ* eſſet obſervandum? Affirmant ii qui promptiores ſunt ad quidvis aſſerendum, quàm parati ad ſolidè probandum. Quid enim (inquiunt) annon *Sabbatho* in primo ſuo crepuſculo *benedicere & ſanctificare*, eſt idem ut *benedictum* omnibus Adami poſteris, & *ſanctificandum* proponere? Si cætera in *Decalogo* præcepta à *naturæ* fluant *principiis*, quâ ratione hoc exauctoretur? Num veriſimile eſt hoc *ceremoniale* fortuitò irrepſiſſe inter *morales*? Aut voluiſſe *Moſen* tantâ cum *ſolicitudine* ſine diſcrimine proponere, quod tanto poſtea *errore Eccleſiam* involveret?

Vid. Azor. Inſt. Moral. part. 2. l. 3.

Vid. Hoſpin. de Origin. Feſtor. Judæor. & Eth. l. 3. c. 3.

veret? Addit *Torniellus*, vix credibile esse *Enosh* seperâsse se, & suos à *Cainitarum* fæce, ad *invocandum nomen Iehova* sine *tempore destinato*, ad tale munus obeundum. Gen. 4. Nec *sacrificandi ritum* putat *Calvinus*, peractum ab *Abrahamo*, & cæteris Patriarchis, nullo habito respectu ad hujus *diei solennitatem*. Rationem reddat qui potest, quare *ante* legem promulgatam *Exod.* 16. in die septimo cessavit *Manna*; nisi quia ad *exemplum Domini* ab ipsius mundi *primordio* invaluisset *Sabbathi observatio*. Sunt quidem ista hujusmodi quæ *colorem* forsân inducunt, sed *fidem* nullatenùs faciunt. Reclamat igitur ex antiquissimis *Tertullianus*, *Docent* (inquit lib. *peculiari adversus Iudæos*) aut *Adam sabbatizâsse*, *aut Abel hostiam Deo sanctam offerentem*, *Sabbati cultorem fuisse*; *aut Noe arcæ fabricatorem propter diluvium immensum*, *Sabbathum observâsse*: *aut Abraham in observatione Sabbathi*, *Isaac filium obtulisse*; *aut Melchisedec in suo Sacerdotio legem Sabbathi accepisse*. Christianos licet *non nomine*, *re* tamen fuisse *Patriarchas*, hoc argumento probat *Eusebius*, Hist. 1. c. 4. Quia ut nos *Christiani*, sic neque illi *observârunt Iudæorum Sabbathum*. Unde permultos asserunt *Iustinus Martyr* in *dialogo* cum *Tryphone*, & *Beda* in *Hexaëmero*, sanctitate præcelluisse, qui nec *unquam fuere circumcisi*, nec *observârunt Sabbatha*. Idem expressè docent *Abulensis in Gen.* 2. q. 4. *Torniellus*, *Angelos* in creationis complemento *Sabbatum observâsse*, ex *Iobi* 38. colligit, *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* Verum tamen (addit) *in terris ista Sabbathi sanctificatio, non nisi post multa secula in usum venisse creditur.* Conjecturâ probabili elicitur (inquit *Calvinus*) Sabbathi *sanctitatem fuisse priorem lege.* Sed hoc recentioribus quamplurimis non satisfacit. Quapropter illis affirmantibus, ex textu incumbit probatio.

Annal. sacr. ad mundi diem. 7. In Exod: ad præcep. 4.

Conf. Epiphanium contra Ebionitas Theodoret in Ezech 20. Procopium Gazeum in G. n. 2 Hoveden. Matt. Paris ad An. 1290.

ὃ τ' ἂν σώματος καὶ αὐτῆς περιτομῆς ἐμελλεν, ὅτι μὴ ὃ ἡμῖν, ὑπαίθρων ἐπιτήρησις ὅτι ὡς ὃ ἡμῖν. *Vid: Damasc. Fid. Orth: l. 4. c. 24. Irenæum. Adverss. hæres. l. 4. c. 30.*

3 Quàm diluta enim sunt illa superiùs allata? *Benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum*, ergò tunc temporis præcepit ut ab *hominibus sanctificaretur?* Præmisit siquidem & anticipavit hoc *Moses* (juxta *Abulensem*) ut mandati ostenderet *æquitatem*, non *initium*. *Enosh* potuit invocare *nomen Domini*, & *Abraham* sacrificare, non stato *Sabbathi* recursu, sed rariùs vel frequentiùs, pro datâ opportunitatis ansâ. Postremò, cessatio *manna* in *sabbatho*, non mandati erat promulgatio, sed ad idem promulgandum *præparatio*. Quòd si in *Sabbatho* neglexisset *Iacob* gregis *Labanici* custodiam, aut minuissent *Israëlitæ* sub *Pharaone* lateris aut *stipulæ* pensum; nec ille rixas, aut illi *fustibineas ferri-crepinas Insulas* impendio evasissent. Ex præscripto autem *sabbatizantium*, quò se verterent? *Sabbathum observas?* Certa *crux*. negligis? Iustissima impendet *Dei* ob legem violatam *indignatio*. Ad has rediguntur angustias qui *sabbatum* ut *naturæ dictamen* miseris conscientiis obtrudunt. Quare ut ante *Mosen* verbum *auditum* habuerunt *Patres*; *scriptum* postea accepit ex multis familiis *conflato*, & manumissa *nationalis Ecclesia*: Ita *sabbathi* forsân quis dicat invaluisse, in ipsorum *familiis*, ex primâ *Benedictione* & *sanctificatione liberam observantiam*; quam postea *liberatæ Ecclesiæ* & *adultiori*, pro tempore injunxit *mandatum*. *Sabbati* igitur *institutio* rectè figitur in 4°. *decalogi mandato*; quod cujusmodi sit *Naturale*, *Morale*, aut *Ceremoniale* consequens est ut distinctiùs pensitemus. *Ceremoniam* nudam & abrogandam pari *serie*, & *passu* cum *moralibus*, (quæ semper obligant;) *ambulare*, non immeritò *primo intuitu* videtur absonum. Consentiunt igitur *cordatiores*, aliquid saltem *morale* in isto *mandato* latere; unde variè sese expediunt, sed in eundem

In Gen. cap. 2. q. 4.

Homil: Ecclesiæ Anglic. Calvin. Inst. l. 2. c. 8. Zanch. Tom. 4. l. 1. c. 19.

dem ſenſum; *Subſtantiam* ejus *moralem* eſſe; *circumſtantias* in *ceremoniam* evaneſcere. Naturale eſt (*juxta Abulenſem*) ut *certum aliquod tempus divino cultui ſeponeretur*: *Legale* quòd *unus è ſeptem*, vel præciſè *à creatione ſeptimo diei*, cultus iſte aſtringeretur. *Quies* igitur eſt *moralis*, *dies ceremonialis*. Ut etiam fatentur *ii*, qui ad *Judaiſmi ſuſpicionem* urgent *mandatum*. Conſentit *Aquinas* 2. 2æ. q. 122. art. 4. & cum illo *cæteri* (quod rarius eſt) cujuſcunque ſectæ *Scholaſtici*. Et hinc conſtat quo ſenſu Patres *ceremoniale*, *umbratile*, *figuratum* aliquoties illud appellárunt. Tria deprehendit in eo *Calvinus* perpetuæ obſervantiæ, *Ceſſationem* ab *operibus noſtris* à *ſtato tempore*, ut Deus in nobis operaretur: *Indictionem publicorum conventuum*, ad religionis & pietatis exercitium; *Sublevationem ſervorum* & *jumentorum* ne continuato opere fatiſcerent. Totidem adducit *Abulenſis* ad ceremoniæ *inſtabilitatem*; *Taxationem* diei, ut vel *unus* eſſet è *ſeptem*, vel in ſerie creationis *ſeptimus*: *Inchoationem* & *continuationem* à *veſperâ* ad *veſperam*: *Strictam* in *foco* non *ſtruendo* & cæteris hujuſmodi *obſervantiam*. Quæ utcunque veriſſima ſint, & partitè indicant, quid nobis in *diei Dominica ſanctificatione* adhuc competat; & quid per *adventum* Chriſti evanuerit: quia textus tamen *præcepti*, iſta non includit; videntur potiùs aliud *ponere*, quàm hoc *exponere*. Nam conceſſis omnibus, *textum* ego ſeorſim intueor, & quæro præciſè, quid præcipitur? Occurrit ſolummodò in frontiſpicio *Sabbathi ſanctificatio*. At quodnam eſt illud *ſabbathum*? ſeptimus dies. Quo calculo? à *primo creationis* computando. At incidit hic in *Judæorum Sabbathum*: præceptum igitur ſi pro *die Dominico* urgeas, revocas ad *Judaiſmum*. Unde *Auguſtinus*, Quiſquis *diem illum obſervat*, *ſicut litera ſonat*, *carnaliter ſapit*. Fruſtra ergò ſunt malè feriati, qui *ſabbathum*, vel *ſeptimum diem* ita hic in *Mandato* dilatarent, ut *diem noſtrum Dominicum* interciperent; vel ita *calculum* inſtituerent, ut *ſabbathum* de quo hic agitur, in illum *incideret*. Ac ſi actum eſſet de *cultibus Chriſtianis*, niſi ex ſepulta *Judæorum ſynagogâ* ſpiritus hauſirent; nec valeret *diei Dominica conſtitutio*, niſi ex *hoc præcepto* pro diei taxatione robur obtineret. Pſeudoprophetis hujuſmodi non parcit *Calvinus*: Qui *unius diei in hoc mandato deſignati in hebdomade obſervationem*, *ut morale in hoc mandato remanere nugabantur*: (verba ipſius ſunt) id *non aliud eſt quàm in Judæorum conſuetudinem diem mutare*, *diei ſanctitatem*, *animo eandem retinere*. Addit, Et *ſanè videmus quid tali doctrinâ profecerint*: *qui enim eorum conſtitutionibus hærent*, *craſſâ carnalique Sabbatiſmi ſuperſtitione Judæos ſuperant*. Hoc autem *Sabbathi* hujus in *diem Dominicum mutatio* (quod *ſecundò* mihi explicandum propoſui) dilucidiùs expediet.

In Exod. 20. q. 11.

Ad 2. ſent d. 27.

Inſt. l. 2. c. 8. § 28.

Vbi ſupra.

De ſpir. & lit. cap. 14.

Inſt. l. 2. c. 8. §. 34.

4 Videmus *inſtitutionem Sabbathi Judaici* in *mandato*, exemplo ipſius *Dei* confirmatam; obſervavimus in eodem quid *morale* ſit retinendum. Supereſt jam ut deſpiciamus *quid ceremoniale* ſit, *& quomodò* abrogatum. Si enim hoc non conſtaret ex *certis principiis*, fluctuaret ſemper *conſcientia*, & ad *Judaiſmum* relaberetur. Quis enim non ita ſecum reputaret? Video *præceptum* inter moralia, quod diſtinctè *ſeptimi diei* à creatione *obſervationem* injungit: cætera adhuc valent, cur non & hoc? Meum non eſt, nec Eccleſiæ, *Leges Dei* pro arbitratu refigere, ſed accipere. Quid faciendum? Qui *textum* iſtius mandati nimium premunt, eliciunt potiùs ſanguinem, quàm ſolatium. Succurrit igitur *Servator*: *Sabbathum propter hominem factum eſt*, *non homo propter Sabbathum*, Marc. 2. Ideò *Filius hominis eſt etiam Sabbathi Dominus*; & proinde mutare illud poteſt prout hominum

Vs. 27.

minum utilitas exigit, ut ex *Beda* habet *Gloſſa*. At vènit non ut *Legem ſolveret*, ſed *impleret*, Mat. 5. *Legémne deſtruimus per fidem?* (inquit Apoſtolus.) Abſit: imò *Legem* ſtabilimus. Umbras igitur diſpulit, *lucem* retinuit, & propagavit, oſtendens inter *Legem* & *Evangelium* ſuaviſſimam harmoniam Ad *Rom.* 14. *Gal.* 4. *Iudaicam dierum obſervationem* generatim perſtringit *Paulus*; diſtinctim verò *Sabbathum abrogatum* oſtendit *Coloſ.* 2. 16. *Nemo ergo vos judicet in cibo & potu, aut in parte diei, ſive* (ut meliùs reddit *Beza*) reſpectu *feſti, aut Sabbatorum, quæ ſunt umbræ futurorum, corpus autem Chriſtus.* Non *judicet*, id eſt non *condemnet*, ſi non obſervetis; quia *umbræ iſtæ* ad exortum Juſtitiæ *Solem*, penitùs evanuerunt. Ut igitur *cibum & potum* exigit natura, *delectui non aſtringitur Legali* Chriſtiana *libertas*: ita *Deum ſtato tempore publicè in Eccleſiâ eſſe colendum*, dictat ratio, ſed à *Sabbathi Iudaici* neceſſitate liberavit *Evangelium*. Abrogatum igitur cùm hîc habeamus *Iudæorum Sabbathum*, diſpiciamus quo jure ſucceſſit *dies Dominicus*. Multa mihi tranſilienda ſunt (*Auditores*) ut ab aliis prolixiùs diſcuſſa, & in medio poſita. Quid enim attinet *Anabaptiſtas, Familiſtas, Swenckfeildiſtas* inſectari, qui in diebus omnibus promiſcuè habendis, pro *libertate* Chriſtianâ *licentiam* intromittunt *Ethnicam*? Aut è contra *Sabbatarios* conclamatos protrahere in proſcenium; qui *Sabbatizando* Iudaiſmum revocarent. *Fluvii* cujuſdam *Sabbatici* meminit *Ioſephus* in *Palæſtina*, qui poſt *ſex dierum ceſſationem, Sabbatho quovis Iudaico alveum impleret.* Refert & idem *Plinius*, ſed contrario prorſus modo, ac ſi *ſiccaretur omnibus Sabbatis*, aliis diebus exundaret. *Ioſepho* patrocinatur *Baronius*, *Plinio Rabbini*; qui inde *Sabbathum ſuum* omnibus obſervandum concluderent. Sed hallucinatum fuiſſe *Baronium* ex vitioſâ lectione, pulchrè oſtendit *Caſaubonus*. *Rabbinos* autem ſic excipit *Galatinus*. Si *fluvius iſte dum erat, obſervandi Sabbathi erat ſignum, nunc quia nuſquam comparet, nuſquam eſt obſervandum iſtud Sabbathum.* Ejuſdem momenti diſſidio commiſſos *Fauſtinos*, relegamus ſi placeat ad quærendum iſtud *flumen*, dum nos quæ inter ſaniores hîc oriuntur *litigia*, attentiùs explicemus, & quantum fieri poteſt, componamus.

Debell. Iud. l. 7. c. 24.
Lib. 31. c. 2.
Ann. 31. num. 38.
Exerc. 15. parag. 20.
Lib. 1. c. 9.

5 Qui diem *Dominicum* ut *hæredem Iudaici* admittunt *Sabbathi*, vel hoc urgent ut *jure Divino* ſtabilitum, vel *Eccleſiaſticâ conſtitutione* introductum. Jure *Divino* pugnant *priores*, vel *craſſiùs* ex *Vet. Teſt.* vel ex *Novo cautiùs. Ex Vet. Teſt. duplici medio, ſanctificationis Sabbathi in creatione primâ, ſanctionis diei ſeptimi*, in 4to *mandato.* Conſtitutione *Eccleſiaſticâ* nituntur, *ſecunda claſſis authores*; quidam *ſimpliciter*, atque ii præcipuè ſunt *Pontificii*, vel *Arminiani*; ut patet ex *Ieſuitis, Canoniſtis*, & *Scholaſticis*, & *Remonſtrantium ultimâ declaratione* ad mandatum 4^tum^. Quibus accedunt *Brentius* ad *Levit.* 23. *Chemnitius* in *Locis*, & e noſtris non pauci. Alii *conſtitutionem* iſtam *praxi Apoſtolicâ ſic corroborant*, ut *Eccleſia* dicatur *promulgâſſe*, & *continuâſſe*, quod Apoſtoli primitùs firmârunt. Ex hiſce omnibus *fluctus* mihi videntur excitari in ſimpulo, niſi quòd *prior ſententia* nimiùm propendet in *Iudaiſmum*, & recepta *Theologorum* placita imperitiùs dicam, an protervius arietat. Cui enim non innotuit *fundamentum* illud *Scholaſticorum* ex Heb. 8. *Quod mutato Sacerdotio mutatur etiam & lex*: unde inferunt præcepta *moralia* hodie non *obligare*, ex præcedaneâ *Moſis promulgatione*; ſed quatenùs *legi naturæ* tàm *Gentibus* quàm *Iudæis* communi, conſentiunt; & à *Meſſia* poſtea *explicata* fuerunt in *Evangelio* & confirmata. Nervoſè hoc confirmat *Zanchius Tom.* 4. *l.* 1. *c.* 11. inter cætera ex

Vid. Bellar. de cult. ſanctor. l. 3. c. 11. Eſtium in 3. ſent. d. 37 parag. 13.

hoc

hoc de *Sabbathi obſervatione mandato.* Si *decalogus* (inquit) *quatenus per Moſen traditus fuit Iſraëlitis, ad Gentes quoque pertineret, Gentes etiam Sabbathum ſanctificare coactæ fuiſſent ex mandato Dei, non minùs quàm Iſraëlitæ. Cùm verò conſtet ad hujus diei ſanctificationem Gentes nunquam fuiſſe obligatas, manifeſtiſſimum ſit, neque reliquis præceptis Decalogi (quatenus Decalogi mandata ſunt, & per Moſen populo Iſraëlitico promulgata) Gentes fuiſſe unquam aut eſſe poſſe obſtrictas.* Deinde non animadvertunt iſti *præcipites*, quibus ſe induunt laqueis, qui *diei Dominici* authoritatem, ex *præcepto Moſaïco* conciliarent. *Mandato* enim ſi innitare, cur ad amuſſim (prout ſonat) non obſervas? Quo jure pro *ſeptimo* à creatione, *primum ſeptimanæ* ſubſtituis? Quâ *indulgentiâ* tibi licet ignem accendere, aut *cibos torrere, aut elixare*; quod *Iudæis* per mandatum non licuit? Sin *egenorum* hujuſmodi te pudeat *elementorum*, & *moralia* tantùm retinenda ſecernis (ut non excutio *diſtinctionis infirmitatem*, quam *textus* non ſuppeditat) *ſtationem* deſeris, & illis vel invitus accedis, qui *miſſo Moſis velamine, Dominici diei* fundamentum in *Luce* quærunt *Evangelii*. Exod. 16. & 35.

6 Atquè hîc qui *inſtitutum expreſſum* jactitant in *Nov. Teſt.* incumbit imprimis ut oſtendant. *Servatorem* conſtat frequentiùs de *ſuperſtitioſa Sabbathi obſervatione* Pharilæis litem intendiſſe; *mandati* ſenſum pleniùs explicâſſe: at ubi de *abrogatione* ipſius ſuſpicio? ubi de *ſurrogatione diei Dominicæ* vel *obſcuriſſima* occurrit *mentio*? *Aſcendit* is; *præcones* relinquit *Apoſtolos*; quid *illi tandem*? Annon *Sabbathum Iudæorum* cum *Iudæis*, ſine ſcrupulo & murmure obſervârunt? Cœtus in *Sabbatho* coactos libentiſſimè inſtituêrunt? Annon *inſequens Eccleſia* tam *Sabbathum* hoc, quàm *diem Dominicum* per aliquot annorum decurſum ſacris conventibus deſtinavit? Notiora ſunt iſta quàm ut probatione indigeant. Unde *diem Dominicum* non *juris eſſe Divini* ſed *Canonici* pronunciant *Pontificij*. Non habenda eſt pro *mandato Evangelii*, ſed pro *ordinatione politicâ* (inquit *Brentius.*) A *Domino noſtro Jeſu Chriſto* ſub novi Teſtamenti tempore *diſcrimen dierum* prorſùs eſſe ſublatum, clamant in *Confeſſione Remonſtrantes.* Regulæ iſtæ conſonant generali, quam ex *Scholaſticis* in hoc argumento proponit *Suarez*, de *Relig.* l. 2. c. 1. *In lege nova non ſunt data ſpecialia præcepta Divina de accidentalibus obſervantiis.* Non defuerunt tamen inter iſtas *faces Pontificias Anchoranus, Panormitanus, Angelus, Sylveſter* qui pro *diei Dominicæ divinâ authoritate*, adverſus *remiſſiores* iſtos *advocatos* maſculè ſeſe oppoſuerunt. Siquidem (ut rectè obſervant 4æ. ſententiæ *propugnatores*) leviculum videtur, & toti *Religionis ſyſtemati* admodum periculoſum, ſi *publici* cultûs *neceſſitatem* circumſcriberet *humana conſtitutio*; nec aliàs conveniret *Eccleſia*, niſi quandò placet *diſſidentibus* fortè inter ſe *Eccleſiaſticis.* Quid impediti *prædiis, boum* aut *rei familiaris ſarcinis*, (ut iſti invitati in *Evangelio*) annon facilè ſe excuſârunt ab *humanâ* condictione? Diſpenſaret ſecum *Prophanus*, ne interſit *precibus*, & *concionibus*; quilibet quidvis *agendi*, vel *negligendi*, ſibi ipſi indulgeret veniam, ſi nihil eliceretur ex *Scripturis*, quod præter *Politicum inſtitutum* obligaret conſcientiam. Prudentèr itaque & piè, præter *ſolennem*, & non *interruptam* Eccleſiæ *Traditionem*, *Apoſtolica* urgetur *praxis*; ut conſtet *Eccleſiam* nil propagâſſe in re tanti momenti, quod ab *iſtis columnis* non acceperit. Tres adducuntur vulgò *textus* qui huic rei *pleniſſimam fidem* faciunt. Primus eſt, Act. 20. 7. *Unâ Sabbathi cùm convenìſſemus ad frangendum panem* (inquit *Lucas*) hoc eſt, *prima hebdomadis* (ut ad mentem *omnium*

Mat. 12. Mar. 2. Luc. 6. Ioh. 5. Act. 13. 17. 18. *Cap. Hoſp. de Feſt. Chriſt.* *Vid. Antithe-ſin. Prim. contra bo Sabbatum.*

Vid. Alter. Inſt. Moral. part C. 2.

Zanch. Tom. 4. lib. 1 cap. 19.

Interpretum explicatiùs vertit Beza) *Paulus disputabat cum iis, profecturus in crastinum, protraxissetque sermonem usque in mediam noctem.* Cur *expressè dicitur* conveniſſe *Discipulos* ad verbi *prædicationem*, & *Eucharistiæ administrationem*, hoc *die* potiùs quàm alio? Aut celebri *Iudæorum Sabbatho*; niſi invaluiſſet tunc temporis *consuetudo, solennes conventus agendi*; evaneſcente tum paulatim *Iudaici Sabbathi Ceremoniâ*? Ita viſum eſt *Patribus*, & *cæteris* ferè omnibus *Interpretibus*. Fateor nihilominùs à *facto accidentario, institutum solenne* non concludi, iſtâ vel ſimili formâ. *Convenerunt tunc temporis Discipuli*, ergò *præceperunt tunc temporis ut haberentur ad eadem sacra peragenda conventus Ecclesiastici*? Quis non animadvertit hîc *diſſolutas ſcopas*? Accedat igitur *præceptum*, 1 *Cor.* 16. 2. Per *unum Sabbathi unuſquiſque veſtrûm apud ſe ſeparet*; Quid? *Collectas in Sanctos*. Cur? *Quia ordinâſſet* etiam hoc *Apoſtolus* in *Galatia Eccleſiis*. Ordinatio ergò hîc intervenit *Apoſtolica*, ab *Eccleſiis* obſervanda: ſed quid ordinat? *Collectas die primâ ſeptimanæ habendas*, non *primum iſtum diem* ad publicum Dei cultum perpetuò eſſe ſeponendum. Tertius locus eſt, *Apocal.* 1. 10. Fui *in ſpiritu* ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ in *die Dominica*. At quænam fuit iſta? Si *Sabbathum* intellexiſſet *Iudæorum, Sabbathum* proculdubio nominâſſet. Si alium *quemvis è ſeptimana*, nullo præ reliquis *privilegio* inſignitum, inanis & ambiguus eſſet titulus, ad implicandum potiùs quàm explicandum comparatus. Quidni igitur ex hoc loco (cum duobus ſuperioribus collato) tàm *Recentes*, quàm *Priſci* concluderent *Interpretes*; Reſpexiſſe hunc μαρτυρώτατον *Apoſtolorum* illam μίαν σαββάτων, ſive *primum* ſeptimanæ *diem*; in quo *reſurrexiſſet Servator*, conveniſſent *uſitatò Diſcipuli* ad ſacra peragenda, ordinâſſet *Paulus collectas* habendas, prout moris erat in *Primitivâ Eccleſiâ*, (referente *Apoſtolo* fermè contermino, in 2. *Apologetico Iuſtino Martyre.*) Ubi *mutatio* nominis rem *mutatam* ſignificat, non quoad *cultum* Deo præſtandum, ſed temporis *determinationem*.

Ita reddit Arabs Ismaël-lahadi *in die uno id eſt primo. Apoc.* 1. 10. ἐν τῇ μιᾷ σαββάτων. *Apoc.* 1. 10.

7 Quid ergò? An *diem* quem celebramus *Dominicum* priſco ritu, *jure divino eſſe* ſtabilitum aſſeremus? Ego quidem (Auditores) ſine cujuſpiam *præjudicio*, libentiſſimè concedo in iſtam *ſententiam*. Utcunque diſpliceant *media*; quibus *plerique* hoc conficerent. Diſplicet *illa illatio, Deus benedixit diei ſeptimo, illumq; ſanctificavit* in ipſius *Naturæ* cunis, ergò ex *naturæ præſcripto* omnibus eſt obſervandus; cùm dubitem, an ante *Moſen*, *Patriarchæ* illud obſervaverint; & didicerim *id* non eſſe *mutabile*, quod *naturæ Author* animis noſtris primitùs inſculpſerit. Diſplicet 2°. quòd poſtulant *morale eſſe*, ut è *diebus ſeptem* unus *publico cultui* neceſſario conſecraretur. Ut *congruum*, omnes admittunt; ut *naturale*, quamplurimi probationem deſiderant. Tertiò, non caret *ſcandalo*, quòd textus *quàm mandati*, ad *diei Dominici* firmamentum, tam indiſtinctè transfertur. Si *Analogia*, Inſinuatio, aut *mandati ratio* hîc ſufficeret, quis non manus daret? At *litera* dum ſcrupuloſiùs inhærent *Iudaiſmum* vix declinant. Quartò, nec placent *hi* qui ex N. Teſt. pollicentur, quod *textus* non ſuppeditat. Nam ubi apud *Evangeliſtas*, aut *Apoſtolos*, diei *Dominicæ* diſtincta inſtitutio? Imò ubi *textus*, unde illud neceſſariò inferas, ſi incidas in adverſarium, quîcum *punctim* agendum ſit, non *precariò*? Nec tamen ſatisfacere videtur *quintò nuda Eccleſiæ conſtitutio*, quæ reſcindi poteſt eâdem *facilitate*, quâ coaluerit; quod de *diei Dominicæ ſanctione*, temerarium eſſet *ſimpliciter* aſſerere. Quare ut inter tot *incerta*, aliquid tandem fixi habeamus: dicatur quidpiam eſſe *jure divino* duobus modis, vel quod *inſtitutum* habet in

ſacris

ſacris Literis; idque vel *expreſſè*, vel *certâ deductione* erutum, vel *exemplum* continuata Eccleſiæ *praxi* omni ſeculo commendatum. Inſtitutum *diei Dominicæ*, ſive *expreſſum*, ſive *elicitum*, oſtendat in ſacris Literis qui invenerit. *Exempla* ſunt ſatis obvia, quibus nitatur *praxis Eccleſiæ*. Altiùs qui venantur *inſtitutum*, in *V. Teſt. umbraculis*, incidunt cum *Ebionitis* & *Petrobruſianis* in *Iudaiſmi* laqueos; Huc uſque qui non aſcendunt, *caput rei* non attingunt; in *quod* & defluit *primæva Benedictio*, & confluit *Mandati æquitas*; non ex *neceſſitate legis Moſaicæ*, ſed (ut rectè habet *Chemnitius*) in *libera Chriſtianorum obſervantiâ*. Hiſce cùm accedant *Imperatorum*, aut *Regum* reſcripta, *Conciliorum* & *Eccleſiæ* canones, non conferunt *Divinam authoritatem* quæ deſuit, ſed referunt, quæ acceperunt à majoribus, poſteris transferenda, & imperanda. Nec his prætractè adverſantur qui de hujuſce diei ſolennitate abjectiùs videntur ſtatuere. Utcunque habenda ſit (inquit *Brentius*) non pro *mandato Evangelij*, *ſed ordinatione politicâ*: ita *tamen divina eſt nec temerè violanda, imò qui ipſam negligit, Iudæo aut Ethnico evadet eò deterior, Tanquam publici ordinis ac decori violatores*, juſtâ *reprehenſione dignos illos eſſe cenſemus*, qui *ad exemplum primitivæ Eccleſiæ, piam illam conſuetudinem non obſervant*, profitentur *Arminiani*. Quin & *Azorius Ieſuita*, de *jure Divino*, *laxè*, & *ſtrictè* ſumpto, in hâc cauſâ nobiſcum diſtinguit: ut illud non tantùm eo gaudeat *privilegio*, quod in *ſacris Literis* invenitur; ſed quod ex eârum, ſive *inſtituto*, ſive *exemplis*, & *analogiâ*, rectâ ratione deducitur. Pro *Calvino*, *Bullingero*, *Bucero*, *Brentio*, *Chemnitio*, *Urſino*, aliiſque è noſtris qui *diem Dominicum*, per Eccleſiam *mutabilem* eſſe concedunt; reſpondet *Fr. Suarez* l. 2. de *Relig.* c. 1. Abſolutè quidem eſt *mutabilis*; practicè verò non eſt, & in promptu eſt *duplex ratio*; tùm quia inſtituta fuit juxta *patrum* conſenſum in Redemptionis noſtræ memoriam, per *Servatoris Reſurrectionem* eo die conſummatæ, tùm quia non dependet tantùm à *ritu Eccleſiaſtico*, aut *Politico*, ſed ab *Apoſtolorum praxi*, & *expreſſâ traditione*; quos indubitatò *Spiritus Sanctus* in omnem veritatem duxerit. Hiſce igitur poſitis, qui adhuc *proterviant*; ac ſi *Idolum* aliquod *Sabbaticum* hîc conflarent, ex *Legis* & *Evangelij* miſturâ: referre mihi videntur, *Iudæum* illum *Teuxburienſem* in noſtris *Annalibus*, qui fortè incidiſſet *in cloacam*; extrahi autem noluit *ſuperſtitioſus* eodem die, quia *Iudæorum* erat *Sabbathum*; ſequente non erat *permiſſum*, ne prophanaretur *Chriſtianorum dies Dominicus*. Ita inter *utrumq*; fœdè periit, qui de neutrius *Celebratione* rectè ſenſit. (Unde *Rithmi*, *Iudaï Sabbatizantis*:

Sabbata ſancta colo, de ſtercore ſurgere nolo.

Chriſtiani Reſpondentis:

Sabbata noſtra quidem Salomon Celebrabit Ibidem)

Atque hæc *tertiò* reſtat à nobis paucioribus delineanda.

Jun. in Bell. controverſ. 7. cap. 10.

In Levit. 23.

Inſt. Moral. par. 2 l. 1. cap. 2.

Foxus & Stow in vit. Hen. 3. Volaterran. Geograph. l. 3. Pl. 65.

8 Tibi debetur certa laus *O Deus in Sione, & tibi rependendum eſt votum; O qui exaudis orationem, ad te omnis caro perveniet.* Vita religionis & pietatis eſt *publicus cultus*; publici cultûs *Anima*, pia & religioſa *Celebratio*. Hanc igitur qui minùs habent, *Irriſores*, *Socordes*, aut *ſchiſmatici*; non tantùm *inconſutilem* Chriſti *tunicam*, quantum in illis eſt dilacerant: ſed & *cæleſti hæreditati*, tanto emptæ pretio, tantâ propoſitæ benignitate, nuntium remittunt. Labyrinthum ingreditur, qui ſingulorum hîc perſequeretur *diverticula*, aut *diſſonos clamores* attenderet. Quæ de hâc re involutiùs proponi ſolent, mihi revocanda videntur ad hæc *duo capita*; nempe ut in *debitâ* (de quâ loquimur) *Diei Dominicæ Celebratione*, attendamus diſtinctiùs,

ſtinctiùs, 1°. quæ præcipiuntur; 2°. quæ *permittuntur*. Tria iſta vocabula *Deo*, *Proximo*, *Mihi*, tanquam *Mercuriales ſtatuas* erigit quidam, ad *curſum noſtrum* inter quoſvis hujus mundi anfractus *dirigendum*. Tria iſta reſpiciunt *commendata*, ſeu potiùs *injuncta* nobis *praxi Apoſtolicâ*, ſacratæ hujus diei peragenda *officia*. Conveniunt *Diſcipuli ad frangendum panem & verbum audiendum*, quæ abſque *precibus præparatorijs*, & ſolennibus, ſubleſtum eſt aggredi. Act. 20. Ecce *Deo* ſuus cultus delatus. Inſtituuntur *Collectæ*, 1 Cor. 16. *Proximi* hic habetur ratio. Fuit in *Spiritu Ioannes die Dominico*, Apoc. 1. Spiritûs elata remigio, aſcendit *pia contemplatio*, & è *torrente deliciarum* propriæ ſaluti conſulit. Ergò *conventus ſolennes*, hoc die præcipuè ſunt habendi, *preces publicæ* celebrandæ, *conciones* audiendæ, *eleemoſynæ* conferendæ, piæ *meditationes* attentiori conatu inſtituendæ & fovendæ. Unde *conſectarium* fit *illud* in *Evangelio*, quod in *Legis* eminet *frontiſpicio*, ab *operibus*, ſive *ſervilibus*, ſive *vocationis*, *vacatio*. Cùm enim non extet, ſive *præceptum*, ſive *exemplum*, ſub Evangelio, quod *Sabbathi Iudaici ceſſationem* diei affigat *Dominico*: nec admittat *libertas Chriſtiana*, rigidam iſtam, & *ceremonialem* quietis *obſervantiam*; eatenùs abſtinendum nobis eſt ab *operibus*, quatenùs iſta quæ *præcipiuntur* non impediunt. Colligit *Hieronymus* ex Act. 18. 3. (referente *Chemnitio*) *Paulum Apoſtolum*, quando non habebat quibus in conventu publico concionaretur, *die Dominicâ* manibus laborâſſe: & Chriſtus *ſingulari ſtudio* multa fecit in *die Sabbathi* (ſicut rectè notat *Chemnitius*) ut oſtenderet *ceſſationem legalis Sabbathi*; & *Sabbathi* (ſi nomen adhuc ſit *retinendum*, quod alicui è *regidiſſimis* in hâc cauſâ non placet) *veram rationem* in N. Teſt. demonſtraret. Summatim ut dicam, *præcipiuntur* iſta omnia, quæ *cultum publicum* promovent; *permittuntur*, quæ non impediunt. Illa autem ſunt vel *opera neceſſitatis*, ut cibos *parare*, *Bovem è foſſa extrahere*, vel *aquatum* ducere, incendium *extinguere*, & ſimilia; vel *opera charitatis*; idque vel reſpectu *noſtri*; permittuntur *Recreationes* cujuſcunque generis, quæ *ſpiritus* honeſtè *refocillent*, & mutuum alant *conſortium*. Ratione aliorum, non defugiendus eſt *quivis labor*, vel moleſtiſſimus, modò proſit *proximo*, nec commodè *differri* poſſit. Ubi tenendum eſt *illud* ſemper, quod *Chriſtiana libertas* immunis ſit à *ſcandalo*, *dato* ſaltem, licet non *accepto*; nec *larva charitatis* obtendatur, ubi occultò movent machinam, *cupiditas*, *faſtidium*, vel *neglectus* Divinæ ordinationis. Quatuor ſiquidem ſunt *ornamenta* (ut rectè obſervat *quidam*) omnium feriarum, *Sanctitas*, *quies*, *lætitia*, *beneficentia*. Quod & ipſum monent apud *Antiquos* feſtorum nomina, מוער à יער, *congregare*, *conteſtari*; חג à חגג, *gaudere*, *tripudiare* עצרת à עצר, *cohibere*, coërcere ab impedientibus negotiis. Pari ratione apud Græcos πανήγεις, *conventus* denotat; & τέλεται *impenſa*, à quibus *ſolennia* eorum *feſta* nomen ſunt ſortita. Atqui hiſce omnibus ſive *laxamentis*, ſive *convivijs*, ſive *Ritibus* aliis *adiaphoris*, limites præſcribat *pius Magiſtratus*, non *præceps* cujuſcunque *Zelus*; cui *ſchiſmatico* quodam *Stoiciſmo*, de non *ferendo ſtabello*, aut pulice non interficiendo, in Iudaiſmum relabitur; aut *projectus nepos*, & *fumidus*, quitopulat ſe *Belphegor*, & *comedit ſacrificia mortuorum*.

In loci. part. 2. Tit. de lege Dei. pag. 55. Vid. Dieterici um Analyſi logica Evangeliorum Dominical. dom. 17. poſt Trinit. pag 555.

Loc. com. Conſentit Perkins in caſ. conſ. l. 2 c. 16. D Bond.

Rob. Toeus. In Effigiatione veri Sabbatiſmi pag 69.

9 *Adverſus hos* fumantes Titiones, *armandi hodie ſunt* hi Filij mei, ut Phineæ *erecti* zelo, *& retundant horum* furentes impetus, *& iſtorum conſtanti pede conculcent* Epicuriſmum. *Θ ſi* quis

quis daret mihi (*inquit* David) potum de ciſternâ quæ eſt in Bethlehem, juxta portam! *Talem* aquam, *tales* Heroas, *poſtulant hæc* Eccleſiæ *tempora, qui diſſipent obſtantes* Philiſtæos, *& onuſti* hoſtium *ſpolijs in caſtra triumphantes redeant. Aut tales vos invênit hactenus* fœcunda Mater Academia, *ad* ſterilitatis *eluendam aſperginem; aut ut languens iſta capella apud* Bucolicum,

Spem gregis ah ſilice in nudâ connixa reliquit!

2 Reg. 23.

Videtiſne quid ſub exiguis pellibus arctatum *vobis affero.* Turris *iſta* Davidis *eſt*, ædificata ad propugnandum; *mille* clipei ſuſpenſi *ſunt in eâ, & omnes peltæ potentûm. Quid* Abana, & Pharphar, *& hujuſmodi, ſive* obſoletorum, *ſive* Recentiorum; *ſeducerent vos* Meandri? *Salit* hic fons *ſolummodò in* Iſrael, *ad eluendam peccatorum* lepram; *è quo vel* unus rectè ſelectus lapillus, *& rotatu* fundæ *animoſè vibratus, proſtrabit quemvis* Philiſtæum, *vel ipſo* Goliah *monſtroſiorem. Dolenda certè fuit iſtius ſeculi* calamitas, *in quo emerſerunt* in Theologia Doctores, *qui (ut præfatur* Iuſtus Ionas *ad* Lutheri tractatum *contra* Sabbatharios) *libros* V. & N. Teſtamenti *in* vulgatâ tranſlatione *nunquam conſpexiſſent. Ideoque* Abrahamum, Iſacum, & Iacobum, *pro* fœneratoribus *habuerunt*, & Rabbinulis, *quos probri loco* Iudæis *inter ipſos victitantes, objecerunt.* At *nunc* Textores *dedit* textus, *Doctoribus* Antagoniſtas: *quò circumſpectiùs* everrenda *ſunt à vobis iſtarum aranearum* ſtamina. *Et ne* capitibus nudatos *vos confidentiùs adoriantur: accedit* pileum, *è cujus quaquaverſus* exporrectis cornibus, *ſuperſtitioſi reſiliant. Et quia* Ocreis, *ex priſco ritu inſtructi huc veniſtis, ad ſignificandum veſtram ad quodvis* Eccleſiæ obſequium, *promptitudinem:* Non deerit vobis *Annulus Equeſtris* Inſigne *dignitatis; ut tergiverſantes intelligant* pedites, *quàm ægrè à manibus veſtris poſſint fugâ ſe ſubducere. Impeditiſſima deprecanda fuit* à Iudæis, *in* Sabbatho fuga, *Mat. 24. quia* calamitati *adderet* gravamen, *violatæ religionis conſcientia. Hinc ridiculè* concluderent nonnulli; Sabbathi Iudaici *confirmationem, cujus prædixit tantùm* Servator, *ex ſuperſtitione incommodum. At non tali* decempedâ *menſuratur diei Dominicæ* Itinerarium. Tempeſtivè & intempeſtivè, propiùs, & remotiùs, *vos* emittit & revocat Chriſtiana libertas; *ubicunque implorat ſubſidium* fraterna charitas *Sed quid ego ſic* accinctos, *tamdiu hîc detineo?* Oſculum *addo;* Doctores *eſtis;* valete, docete. *Vnicum* ſupereſt, *& finio. Si incidatis in tales* Antichriſti

2 Reg. 5.

Pileum.

Ocreæ.

Annulus.

Oſculum.

ſti prædicatores, *quales* Romæ *delituiſſe inter cives, lib.* 11. *Ep.* 3. *queritur* Gregorius; *qui & die* Sabbathi, *quidvis facere, aut* Dominico lavare *nefas eſſe duxerunt.* Γρηγορῆτε *& diligenter* proſpicite (*ut* ille *ibidem inculcat*) *ne* peccati onera, quovis zeli *prætextu, per* portas *introducantur: quin potiùs id* ſatagite, *ut quæ intùs latitant in* luſtris *&* popinis, *ſeveriùs ejiciantur. Peccatienim Originalis* contagio, *& depravatæ voluntatis* ulcus, *primum dabunt vobis, in hoc* circo, conflictûs Doctoralis *ſpecimen. Admovete igitur ita ulceri* Cauterium, *ut quod per* naturam *primitùs erat* liberum, *per* gratiam *tandem conſtet eſſe* liberatum.

Quæſtiones Reſ. Tho. Jackſon.

Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, *ſit omnis laus, honor, & gloria, in ſecula ſeculorum,* AMEN.

ORAT. VIII.

ORATIO VIII.

INAVGVRALIS IN PROMOTIONE DOCTORVM

GVIL: SLATYER. ROB: SIBTHORP. MORG: IONES. THO: WORRAL. ROB: BARCROFT. PAVL. HOOD. IOH. WALL. JOS: AISGILL. G: WEBB. THEOPH. GALE. FRANC: MAVNSELL.

OXONII in Comitiis habita Anno 1624.

De Vocatione Miniſtrorum.

HEB: 5. VER. 4.

4 *Non ſibi ipſi quiſquam ſumit hunc honorem, ſed qui vocatur à Deo, ſicut & Aaron.*

QVibus artibus *Satan* non ceſſat indies exercere *dilectam Chriſti* ſponſam, conſpicuo nimis laborat *glaucomate* (P. & F.) qui abſque *conſpicillo* non perſentiſcit. *Antichriſti* circumvolitant *locuſtæ*, *Ranæ* coaxant ex quavis palude; Qui antea delituerunt *Tenebriones*, haud ita pridem ſub *dio* auſi ſunt comparere, & *promptiorem* quemvis veritatis *Athletam* in arenam provocare. Notiora ſunt iſta, quàm aut excuſet *charitas*, aut ulterius diſſimulet *hypocriſis*. Niſi igitur *Dominus* fuiſſet nobiſcum, dicat nunc *Iſrael*, niſi nobiſcum fuiſſet *Dominus*, cùm *inſurgerent* adverſus nos *homines*; *Torrentes* pertranſiſſent piorum *animas*, veniſſent gentes in *hæreditatem Domini*, & poſuiſſent *Ieruſalem* in pomorum cuſtodia. Atque ut *ſpiritus impurus* in Evangelio poſt *peractam* per *Aquoſa peregrinationem*, quia requiem non invenit, rediit unde exierat, ſed *pluribus* ſtipatus *ſocijs*, ut quam *verſam* deprehendat

deprehendat in reditu, *everſam* relinquat tandem domum: haud aliter *Antichriſti proxineta*, qui poſthabitâ *matre genuinâ*, tranſmarinam depereunt *pellicem*, fugiunt, peregrinantur, ſed ſiticuloſa quæ tranſeunt *loca*, citò illos, neque *incomitatos*, nobis reddunt. Muſcæ *flabro* abactæ repetunt plerunque *pharmacopœas*, donec *flagro* pereant; & *transfugæ* noſtri *papicolæ*, cùm *mordere* ulteriùs non datur, pergunt *circumlatrare*. *Iſtæ ſunt gentes,* Judicr 3. *quas dereliquit Dominus*, ut *erudiret in eis Iſraelem ſuum*, & *omnes, qui non noverant bella Cananæorum*, ut poſtea diſcerent *filii* eorum *certare cum hoſtibus*, & *habere conſuetudinem præliandi*. Operæ pretium interim eſt obſervare, quomodo depulſi à *ſtatione* priſtina, nova indies quærunt *latibula*. Nam cur non urgent *hodiè*, ut antea de *Tranſubſtantiatione*, *Communione ſub una ſpecie*, *cælibatu Sacerdotum*, *Votis*, Miſſis privatis, *Auriculari confeſſione*, ſex iſtos articulos, qui tempore *Henrici octavi* tot dedere *vivicomburia*, niſi quod ſentiunt *iſtas nugas*, vel leviter *Evangelio tinctis* debere iudibrium? *Pontifices in Reges temporale dominium*, poſt *plagam Regiam* in *nupero* inflictam *conflictu*, vix audent jam attingere. *Purgatorii* audito figmento, 2 Tim. 3. *Pueri* hodiè in ſcholis trivialibus ſibilant aut *cachinnantur*. *Imagines*, *Reliquiæ*, *Proceſſiones*, *Peregrinationes*, *Indulgentiarum Nundinationes*, & cætera ejuſdem ſarcinæ Crepundia catholica, præter γυμνάσια quædam ductilia & inſtabiles quoſdam *Mirionei*, raros licitatores inveniunt. De *libero arbitrio* libenter vix movent *litem*, quia de hoc inter *Jeſuitas* & *Dominicanos* gliſcit adhuc ἔχθος ἀιώνιον, nec *Pontifex* pro ſua *infallibilitate* audet illud dirimere. Poſt *pudendas* igitur anteceſſorum *tergiverſationes*, proreptârunt tandem nonnulli, qui ad *Scripturas* provocant, & *textum* præter ſolitum intorquent; ſed ſtupent ipſorum *proſelyta*, cum ſentiant ex hac parte ſuorum Rabbinorum inopiam. Duo tantùm reſtabunt; *Eccleſiæ* ſcilicet *Viſibilitas*, & *Miniſtrorum vocatio*. Ad hæc *propugnacula* omnes congerunt copias, ac ſi in his poſitæ tandem fuerunt *Titubantis Romæ* fortunæ. Eccleſiæ ipſorum *ſpectro*, larvam nudius tertius (ut meminiſſe poteſtis) pro modulo detraximus. Noſtri deinceps *miniſterii* ſi legitima hodiè conſtet *Vocatio*; vix haberent *Verſipelles* quo ſe verterent, pii interim facilè perciperent, non quos fugerent tantùm, ſed quos ſequantur.

2 Hoc ut ſuccinctiùs fiat, & præſenti inſtituto accommodatiùs, *Apoſtolum* audiamus in hoc ipſo argumento *Conterraneos ſuos* in Epiſtola ad *Hebræos*, cap. 5. & verſu 4. ſic inſtituentem: *Non ſibi ipſi ſumit quiſquis hunc honorem, ſed qui vocatur à Deo, ſicut & Aaron.* Ubi non expectet à me quiſpiam (P. & F.) ut *pro more concionis*, aut *prælectionis Theologicæ*, accuratè textum hunc pertractem & explicem, non poſtulat hoc vel patitur *intentior* veſtra *futuris diſputationibus attentio*, aut laxior hæc creandi *Doctores* conſuetudo. Ad ſcopum igitur ſufficiat, ſi *hæc tria*, quæ etiam ex *textu* profluunt, ordine percurrantur. Primum, *vocationis* hujus ad *miniſterium Neceſſitas*. Secundum, *Dignitas*. Tertium, cum primæva inſtitutione *Conformitas*. *Non ſibi ipſi quiſpiam aſſumit*] violenter, fraudulenter, temerè; ne *Arca* non *vocatus* admovens *manum*, cum עזה *ſab* percutiatur, & pereat. Sarcinam ſi *nullus imponat* (inquit *Auguſtinus*) contemplationi veritatis vacandum eſt, non *publico* in *Eccleſiæ præconio*. Expectanda itaq; eſt neceſſario *ordinaria vocatio*, *Non aſſumit hunc Honorem*] Ubi ſunt igitur *maleferiati* iſti *Irriſores*, qui *Miniſterium Evangelicum* probri loco ducunt. *Honor* (ut videtis) eſt in *onere*, *dignitas* in *diligentia*, *corona in contemptu*

ptu: Sed quemadmodum in politicis nemo *Eques, Baro, Comes* evadet, nisi à *promovente* aliquo pro *Imperio*. *In Physicis* (ut ad hunc locum notat *Aquinas*) *Aër* non facit *seipsum ignem*, sed *fit à superiori*: Ita Deus qui *exemplarem* esse voluit hanc *Aaronis*, haud dissimilem constituit *vocationem*; quam qui minùs habent, *Haretici*, & *Fanatici*; per *fenestram* intrant, ut *fures*, non per *Ostium* ut *patres-familias*, & ut *lupi* potiùs circa caulas ululant; quàm ut legitimi pastores ducunt Oves ad *Aquas Requietum*. Psal. 23.

3 Ac *Necessitas* quidem *vocationis*, non ratione *ordinis* tantùm, & *decori*, sed *præcepti*, & *divini mandati* eluescit. Quòd in Vet. Test. nullus *Sacerdos* manum admovet *sacris*, aut *sacrificijs*, nullus prodit *Propheta* ad *docendum* publicè, de cujus *legitimâ vocatione* non manifestò constabat. Hinc *iteratæ istæ* apud *Hieremiam* adversus *Pseudo-prophetas* querelæ. *Vaticinantur in nomine meo, & non misi eos*, non *præcepi iis*, neque *locutus sum ad eos, non mittebam & illis currebant, non alloquebar, & ipsi prophetabant*; unde *noluit* (addit) *audire verba ipsorum*, quia ego *non misi eos*. Quemadmodum autem capitale erat, si quis *Atrium Regis Persarum*, non vocatus ingrederetur: Ita arescit manus *Jeroboami*, & *lepra* quasi syderatur *Rex Ussias*, cum *sacratum consecrati Sacerdotii* invadit *officium*. Et annon in *Novo Testamento* illustri. ori Religionis *Arrhabone* asseritur *ministrorum vocatio*? Quid expressius, quàm illud *Servatoris dictum*: *Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos*, Joh. 20. *factum*? *Ascendens in altum dedit quidem, quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores*? Non permittit *Daemoni* ut indicaret, quòd ipsum *nosset*, Marc. 1. Quia extra *vocationem* (ut notat quidam) ausus sit, vel *verissima* prædicare. Quàm in promptu fuisset *Paulum* è cœlo *tactum à corripiente* instituì, aut *Cornelium* ab *Angelo*, qui *Orantem* compellavit? Ablegatur tamen *uterque* ad *Ananiam Paulus*, ad *Petrum Cornelius*, ut uterque disceret à *deputato*, quid de *deputante* esset sentiendum. Dabisne *aciem ordinatam* absque *Ducibus*? Aut sine *pastore gregem*, aut quamvis ritè *constitutam* sine *dispensatoribus Oeconomiam*? Ideo reliqui te in *Creta* (*Tito* scribit *Paulus*) ut *oppidatim* constituas *presbyteros, sicut ego disposui tibi*. *Quomodo enim prædicabunt*, nisi *missi fuerint*. Ad Rom. 10? Nam si de *vocatione* non constet *legitimâ*, quâ *fiduciâ*, aut præcipiet *Pastor*, aut *recipiens* oves *pabulum*? nunquid non is læpiùs audiet ab *Auditoribus*, *Amice, quomodo huc intrasti*? Quis te *dedit nobis Correctorem*? Et illi vicè versâ à dissentientibus inter se pastoribus. *Æmulantur vos non benè, sed excludere nos volunt* ut illos *æmulemini*. In tam *præposterâ* disciplinæ *ruinâ*, tot essent *sensus*, quot *capita*, tot *dissensus*, quot *sensûs*, & plures proculdubio *Prædicantes loquacissimi*, quàm *Auditores humanissimi*. Quin ingererent se etiam *feminæ* contra *Edictum Apostoli*, & ita suspque deque raptarentur omnia. Prudenter itaque Ecclesia χειροτονίαν ἐκάλεσεν τὴν χείρων ad *Apostolorum* exemplar summâ cum *solemnitate* retineri præcepit, ut ordinaretur *Episcopus*, vel à *tota provincia*, vel à *Concilio*, vel juxtà *Canonem* (qui dicitur *primus Apostolorum*) à tribus aut duobus ad minimum *Episcopis, præsente* (si fieri potest) *& promovente negotium*, *Metropolitano*. Ordinentur *Presbyteri* & *Diaconi* ab *Episcopo*, non *furtim*, non *perfunctoriè*, sed *Cæremonis debitis* & *precibus*, in aperto Ecclesiæ *Theatro*, ut agnoscat populus, quos attendat *legitimos Pastores*, & fidenter obeant pastores illud munus quod *Authoritate legitimâ* nôrunt, illis esse delatum.

Cap. 14. Cap. 23. Cap. 27.

Esth. 4.

Ephes. 4.

Tarnovius de S. minister. c. 8.

Cap. 1.

Matth. 22.

Gal. 4.

1 Tim. 2. Act. 14. 1 Tim. 4. *Grat. dist. 64.*

4 Ista cùm sic se habeant; non desunt tamen *Fanatici* & *Socinians*, qui impudenter per *Enthusiasmos* & *argutiolas* recalcitrant. Quanquam autem moræ vix sit pretium cum talibus *larvis* luctari, quia tamen adhuc persistunt, & *Scripturis* tantùm nituntur, & nonnullos dementant, & omnibus contendunt *scrupulos injicere*; Non ingratum forsàn erit, in transcursu despicere, quàm isti oppugnent validè, & vafrè conantur fundamenta à nobis antea proposita eludere. Quid autem (inquiunt) annon cuivis liceat Christiano (etiam sine *speciali* ullo mandato) *charitatem* erga *proximum exercere?* Annon opus charitatis planè est, ad *Apostolicam Doctrinam*, & *Christi Evangelium* amplectendum, & retinendum alios, *cohortari*, divinaque Oracula, quæ omnibus sunt *proposita*, illis explicare? Annon omnes facti sunt *Reges* & *Sacerdotes* Apoc. 1? vel *Regale* potiùs *Sacerdotium*. 1 Pet. 2? ut *virtutes prædicent* illius, qui ex tenebris illos *vocavit* in admirabilem suam lucem? *Si talentum* jussu *Servatoris* non sit *in terra defodiendum*, cur non liceat ex eo negotiari, etiamsi totus mundus reclamet? Claves datæ sunt non *Hierarchicis* tantùm, sed *toti Ecclesiæ*; & *Apostoli*, cùm fusè ostendant, quid constituit *Episcopum*, non interponunt *verbum*, à *quibus*, vel *quot*, vel quâ *solennitate*, sit ordinandus vel consecrandus. Potestis *omnes sigillatim Prophetare*, ut omnes *discant* & omnes consolationem accipiant, præsertim si *assidentibus prophetis*, aliquid fuerit revelatum. Constat *dispersos* per *mortem Stephani Evangelium* ubivis disseminâsse, at de *vocatione* vel *Missione* omninò non constat; constat potiùs contrarium. Et expressè habet Textus, *Familiam Stephanæ* in *ministerium sanctorũ* seipsam ordinâsse. 1 *Cor.* 16. *Ordinatos* audis à *seipsis*, non solenniter *vocatas ab aliis*, unde inferunt *Socinani*, *vocationem*, & *missionẽ* primitùs fuisse *necessariam*, ad novæ doctrinæ *revelationem*; Nunc verò non esse, ad revelatæ *propagationẽ*. Admitti forsàn potest hodiè ad *decorum*, non *rigidiùs* exigi ad muneris *legitimationem*. Sed juncta istæ redeunt in *manus* intorquentium. *Charitas* siquidẽ *conversionis* à quolibet exercetur in *institutione privatâ*, non in *munere* docendi *publice*, & qui *Regali* fruuntur *Sacerdotio Spirituali*ter, non ad *officium* admittuntur *Sacerdotale* (magis quàm *Regium*) ut *cæteris præsint publicè*. Nunquid autem non est usus *Talenti* nisi in *munere publico*? Et *claves Ecclesiæ* arripiantur pro libitu à *privatis*, & non *debito modo* tradantur ab *ea*, quæ *accepit Ecclesiâ*? Quid si præcisè in *scripturis* non occurrat, *consecrandi* aut *ordinandi* modus? In promptu sunt *Exempla*, quæ satis exactè dirigunt? *Prophetare* omnes possunt qui sunt *Prophetæ*; non *singuli*, quos Deus non *vocavit*, ut sint *Prophetæ*. Num omnes *Doctores*? *num omnes edunt virtutes*? Certè *Deus non est ἀκαταστασίας Author*, sed *ordinis*. *Dispersi* igitur per *persequutionem*, non propagârunt *Evangelium* ultra *munus injunctum*; & *ministerium* erat *domus Stephanæ*, non *prædicandi*, sed *necessitatibus sanctorum inservientes*. Videtis (*P. & Fi.*) quàm ista perperàm contexta cirò diffluunt, nec plus *succi* continet illud inter *Lutheranos* nuper excitatum *Meteoron*. Nempe *gradum Doctoris* in Theologia posse esse *loco ordinationis*. Nam alia est *Schola*, alia est *Ecclesia* promotio, (ut rectè ostendit adhuc è prælo *calens Paulus Tarnovius*) *ornamentum* est hoc tantùm istius *fundamenti*, quo *Honor ministerij* primitùs non confertur, sed imprimis *illustratur*. De quo *secundo* jam aliquid est addendum.

1 Cor. 14. Act. 8. 11.

1 Cor. 12. Ibid. 14.

De sac. Minist. l. 1. c. 25. q. 6.

5 *Non sibi ipsi quispiam sumit hunc honorem*] qui *ministerii onus* satis cunctantèr subeunt, de *ejusdem honore* libenter audiunt. Nam quis in numerato penè non habet istos *titulos Angeli*, *Propheta*, *Doctoris*, *Doctoris*, *Servatoris*, *Lucis*

Lucis mundi, Salis terræ, & hujuſmodi. *Patulis* ſiquidem *auribus* iſta imbibimus, *privilegijs* inſiſtimus, *legationis dignitatem* prædicamus; Sed ad *opus*, ad *opprobrium*, ad *crucem*, citò *languent* greſſus; ut quadret illud *Pſalmiſtæ*: *Homo in hoc honore conſtitutus, non intellexit; ſed ſimilis plerunque evadit jumentis, quæ pereunt.* Talem è *Servorum ſervo* exhibuit nobis *Beſtiam* Petri *Cathedra*; qui *leges, Reges, greges* ſub *prophanis* conculcavit *pedibus* & *honori* ſuæ duxit *Sanctitati*, non tantùm *Inferis* Canones præſcribere; ſed ſupra *omne illud quod dicitur Deus*, aut *ſicarius* ſeipſum extollere. Camerinam ex *Canoniſtis* non moveo, quam nullus adhuc attigit *Index Expurgatorius*, ſed *graveolentiorem* potiùs reddiderunt *Jeſuitarum Sycophantiæ*; tantum hoc adjicio vice ſymboli: *Non eſt honos, neque decus imitari tale pecus.* Certè non eſt *diſcipulus ſupra Magiſtrum*, neque *Servus ſupra Dominum.* Domini autem *Regnum* non erat *ex hoc mundo*, & quid quærit hîc *ſervus*, quod obtulit *Domino Satanas*, ut ſeduceret, ſed repellit *Dominus*, ut *ſervi*, hujuſmodi non eſſe *expetenda*, diſcerent. Amor *meus crucifixus eſt*, *clamat ad Beſtias properans Ignatius*, & *Honor* ſit *Miniſtri, Servatoris crucem* tollere, & ſequi, per quem *mundo crucifixus* manet, & ipſi *mundus. Honor* iſte tibi confertur, (mi *Frater*) ad *miniſterium*, non ad *Dominium*; non ut *præſis*, ſed ut *proſis*, *paſcendos* ſuſcepiſti *greges*, non *premendos*; & hoc præſtitum fuiſſet jamdudum in *cæteris Regionibus*, niſi præ *auro Hiſpaniæ* (verba non ſunt mea, ſed *Bernardi lib.* 3. de Conſideratione ad *Eugenium* cap. 1.) *Salus populi vilueſſet.* Quid enim prodeſt, (ut verbis utar *Ambroſii.*) Nomen *inane*, & *crimen immane*; *Honor ſublimis*, & vita *deformis*; *Deifica poſſeſſio*, & *illicita actio*; *gradus excelſus*, & *deformis exceſſus*; *Cathedra ſublimior*, & *Conſcientia Humilior*, *loquutio columbina*, & *mens Canina?* Quinimò *honor veſter* ſit (*Filij*) *veſtimentorum*, Chriſtum induere; *proſapiæ*, nomina habere inſcripta in *Libro vitæ*; *militiæ*, *ſcutum* fidei *poſſidere*, & ſpiritus *gladium*; *Familiæ*, Deo inſervire, fratribuſque ſubvenire. Nunquid aſcendes ad *Aſtra* per *ſuperbiam*, ut loquatur de te *Jeſus*: *Vidi Satanam de cœlo cadentem ut fulgur?* Honor *Doctoratus* aut *Epiſcopatus* accedit, ut *induſtriæ ſtimulus*, non ut *Elationis Typhus.* Quem ſi *ambitione*, *largitione*, *ſycophantiis* aſſequaris tandem; *Quod dediſti, aurum fuit*; *quod amiſiſti, anima fuit*; *quod acceptum pecunia fuit*, *quod datum lepra fuit.* O *Timothei* mei honore *à Deo ornati, depoſitum cuſtodite*, & *devitate profanos, & de rebus inanibus clamores*, & *negotiationes*, quæ rectà ducunt ad *fidei Naufragium.* Cur quæritis hic *in terris* quæ invenienda eſt tantùm *in cœlis*, *immarceſſibilis Honoris Coronam?* Annon hoc vobis ſatis eſt, quod *David Pſalmiſta* & *Prophetæ*, *Solomon Rex*, & *Eccleſiaſtes*, *Filius Dei Rex*, *Propheta*, & *Sacerdos*, in veſtris titulis? Ergo qui vos *contemnunt*, *hos* & *illum* habent diſpicatui. Sed an ritè ſicut *Aaroni* acceſſerit nobis iſte *vocationis honor*, ſupereſt nunc, *tertio* in *loco* ut paucis expediam.

Pſal. 49.

2 Theſſ. 2. 4.

Mat 20.

Ad Rom Ep. 15.

Gal. 6.

Bern de Conſ. l. 2 *c.* 6.

De dignitate Sacerdotum. l. 1. *c* 3.

Luc. 10.

Ambr. de Sacerd dignit. c. 6.

1 Tim. 6.

6 *Sed qui vocatur à Deo ſicut Aaron)* Plerunque fit, ut qui ὀρθοποδεῖν, hoc eſt *recto pede incedere* ad *Evangelium*, vel non *poſſunt*, vel *recuſant*; recipiunt ſe ad *Diverticula*, quibus tutiùs elabantur. Ad hos adegit incitas *Adverſarios* (quibuſcum jamdiu conflictamur) non noſtrorum *peritia*, ſed *cauſæ invictæ veritas.* Quodnam enim *ingenium*, non dico *humanis*, ſed *Diabolicis* inſtructum ſophiſmatibus, dum ſtet *Scriptura*, *Romanenſium* præſtet *Commenta?* Nil reſtabat igitur, niſi ut quorum doctrinam fruſtra per tot annos ſugillâſſent, *Eccleſiam & Miniſterium* ſuſpectum redderent. Vt ita à *rebus* ad *perſonas* credulorum oculos averterent. Unde iſta quaſi

ex plauſtro redintegrata & ingeſta Lœdoria. Nunquid ſperanda eſt à talibus *veritas* aut *ſynceritas*, qui *legitimum* non habent *miniſterium*? *Conſecratio* apud ipſos Epiſcoporum, eſt *execratio*; *ſacrificium*, *ſacrilegium*; *fides*, *fœditas*; *Religio*, *Turciſmo contaminatior*, & à *fœmina papiſſa Parliamentaria*. Hujuſmodi cùm ſemel inter caulas ululaſſet *Lyciſca* profugus, circumlatrabant ſtatim ex eodem *Canili* clamoſiores *Catuli*. *Hardingum*, & *Alanum* exceperunt *Stapletonus*, *Sanderus*, *Briſtous*, *Howlettus*, *Raynoldus*, *Parſonius*, *Rhemenſes*, & tandem ab *ipſis* excitati *Bellarminus*, *Becanus*, *Valentianus*, *Turrianus*, *Eudæmon*, *Poſnanienſes*. Quorum omnium millies à noſtris *abſterſum* & *deterſam*, abſorbuit nuper & refudit *vomitum*, *Antonius Champ. næus*. Tantum *Anglicis* noſtris *Moloſſis* debet *Beſtia Apocalyptica*, quos (cùm *ſaginare*, apud ſe diutiùs videtur grave) remittit plerunque ad *patibulum* ut inde fiant *Martyres*.

Tract de vocat. Miniſtrorum.

7. Sed ut conſtet, *noſtra vocatio*, & *infrunita* Reclamantium *impudentia*, quid obſervent (quæſo) in noſtro *miniſterio*, ſive *Ordinantes*, ſive *Ordinatos*, ſive *Ordinationem* ipſam reſpiciant, quod meritò reprehendant? *Ordinantes ſunt Epiſcopi*; *Pſeudoepiſcopi* dicunt *Adverſarii*, & non legitimè ſicut *Aaron* ad *illud munus* vocati. Sed quare tales? Nunquid non à legitimis *Epiſcopis*, & *debita ſolennitate* conſecrati? Ago cauſam hac vice *Anglicanæ* ſolius *Eccleſiæ*; *Tranſmarinis* non deſunt è ſuis *Patroni*, quibus alias videant *Adverſarii* quid reponant. *Epiſcopis* noſtris *duplicem* impingunt *defectum*, primum continuatæ *ſucceſſionis* à *præcedentibus Epiſcopis*; ſecundum, ritus debiti, in *conſecrationis* ſolemnitate. Vel enim (inquiunt) *vocatio* veſtra eſt *extraordinaria*, vel *ordinaria*, ſi extra *ordinem de novo* cœlitùs eſt elapſa, ubi *miracula*? Sin *ordinarium* ſit ſucceſſionis *filum*, ne pudeat *Majores veſtros* in ſcenam producere. Hiſce nugis toties à *noſtris* eſt ſatisfactum, ut miremur *frontem*, quæ hæc reponit. Extraordinariò enim ſi qui dixerunt, *Lutherum*, *Calvinum*, aut *alios* à Deo fuiſſe *excitatos*; non urgent *vocationis immediatæ novam originem*, ſed in *vocatione* (à *Majoribus* legitimè derivatâ) *Zelum* quendam *extraordinarium*. *Vocatio* cum cæteris erat *communis*, at *exequendi modus Heroicus*, & illis cum pauciſſimis peculiaris. Unde *Lutherum legitimè vocatum* agnoſcit *Becanus*, *Calvinum*, *Bellarminus*. Apud noſtros autem *conſpicua* magis eluceſcit *Succeſſio*, *Cranmerum* (qui Babyloni primum remiſit nuntium) utcunque intruſum in *Archiepiſcopatum*, abſque ulla *conſecratione legitima*, impudentiſſimè affirmat *Becanus*, extant nihilominùs ad minimum *ſex Clementis ſeptimi reſcripta*, quibus *Archiepiſcopus* agnoſcitur, & pallium de corpore *beati Patris* ſumptum conceditur. Extat etiam ridiculæ *Degradationis Drama*, qua non tantum *Presbyteratus*, ut * aliis, ſed *Epiſcopatus* ipſi detrahitur; nec diffitentur noſtri [a] *Transfugæ* (*Becano* in rebus noſtris *verſatiores*) legitimam Cranmeri *conſecrationem*, per *Johannem Lincolnienſem*, *Iohannem Exonienſem*, & *Henricum Aſaphenſem* ut ex *Faſtis* conſtat, legitimè fuiſſe peractam.

Cont. Ang c. 4. q 9. num 6.

* *Ridleo, Hoopero, Farrario.*

[a] *Fitz ſimon. Parſonus Vide Maſon in verdict Eccleſ. Angl. l. 2. c. 7.*

8 Quid ergò nunquid *nullus Deus in Iſraël*, *nullum Balſamum in Gilead*, ſed è *ſpinis Pontificiis* Reformatæ religionis uvæ ſunt *colligendæ*, *Epiſcopi Chriſto* ab *Antichriſto* ſunt accerſendi? Indignantur forſàn dum hæc audiunt *Teneriores*, ſed Cordatiores norunt, & *Phariſæos* nonnunquam *Cathedram Moſis* occupâſſe; & *Iudam Apoſtolatus* munus obiviſſe, nec fruſtra, quia in *hujuſmodi*, non à *miniſtrantis ſynceritate*, ſed ab *inſtituentis authoritate* effectus pendet ſalutaris. Alia ſiquidem eſt *docendi poteſtas*, alia *doctrinæ puritas*.

puritas. Nec qui per *ſuperſtitionem*, aut *hæreſin* amittit doctrinæ *puritatem* privatur ſtatim *ordinandi facultate.* Quis ignorat (inquit *Bellarm.*) baptizatos ab *Hæreticis* verè eſſe *baptizatos?* & ſimiliter *ordinatos* vere eſſe *ordinatos?* Non impedimento erat *Aaroni* interveniens παρελαβία, quo minus *Sacerdotium poſteris* transferret. Nec *Felix* ſecundus ab *Arianis* ordinatus, expungitur eo nomine ex *paparum Catalogo.* Non ad mutationem igitur *Doctrinæ*, multò minùs ad amotionem *fœni* & *ſtipulæ* mutatur *ordo Sacerdotalis*, ut ridiculè aſſerit, ſed non probat *Briſtous Motiv:* 24. Magis ingenuè *Cadſemius*, vel *Eccleſiam Anglicanam* duraturam, vel in partes *Pontificias* facilè tranſituram pronunciat, propter *Catholicum* in perpetua *Epiſcoporum ſuorum* ſerie, *legitimaque* paſtorum ſucceſſione ab *Eccleſia* accepta, *ordinem.*

De Rom. Pont. lib. 4. c. 10.

Baron: An: 357. num 63. Binius in notis in Vitam Felicis 2d. In Deſterat. Calviniſt. cauſ.

9 Iſta cùm adeo ſint poſita *in luce*, ut lippiat neceſſe ſit, qui non videat, & agnoſcat, Recipiunt ſe *perfidi Sycophantæ* ad *notam* mentiendi *impudentiam* quam *indicaſſe* tantum in *tranſcurſu* eſt penitùs *exibilaſſe. Fabula* paucis ſic ſe habet. Ex condicto convenerunt (inquit *Chriſtophorus à Sacroboſco*) *Sandeſius*, *Scoreus*, *Grindallus*, ad *Inſigne capitis Manuli* in *vico Cheapſide Londini*, & quia ſe ſubtraxit *Senex Epiſcopus Landavenſis*, ob *Bonneri minas*, quem *Catholicum* expectabant *conſecratorem*, ſe invicem conſecrârunt. Quiſquamne tam *craſſo filo contextum commentum* ab exercitatis in iſta arte expectaret? Dignatur tamen *Doctiſſimus Maſonus noſter*, ut *ſimplicioribus* ſatisfaceret *ſeriò* hoc refellere. Oſtendit igitur ex indubitatis *Archiepiſcoporum faſtis*, non tantum quo *tempore*, à *quibus*, aut *quo in loco*, quilibet horum *Epiſcoporum* erat canonicè *conſecratus*; Sed quid factum fuit *Parkero*, *Iuello*, & aliis; (de quibus etiam nugantur *Adverſarii*,) & quinam in illis ſolennitatibus conciones habuerunt, & in quos textus. Et ne pergerent *verſipelles tenebriones*, proſelytis ſuis, ex hac parte *fucum facere*; Curavit *Archiepiſcopus* noſter, qui nunc ad *clavum* ſedet *vigilantiſſimus*, ut *adderentur quatuor*, coràm *idoneis teſtibus*, è *Doctoribus papicolarum Sacerdotibus*, qui *Autographa* ipſa inſpicerent, perpenderent, *ſymmiſtis* indicarent, pollitici ſunt ſe *facturos*, videntur *feciſſe.* Prodit *Champnæus* nihilominus noſter, una cum Anglo quodam Anonymo Apodeictico, & *publicis* hiſce *faſtis*, *publico teſtimonio* Animadvertite (quæſo) quid opponit. Magiſtri ſcilicet *cujuſdam Thomæ Benetti* (in *Caſtro Wisbicenſi* incarcerati) *authenticam* proculdubio & *Canonicam* narrationem. At unde is habuit iſta? A *Johanne Neali Bonneri* familiari, & olim hujus *Academiæ Profeſſore Hebraico.* Ille autem (ſi *Champnæo* fides) oculatus erat rei, nunquam *geſtæ*, nunquam gerendæ Teſtis. Et ne forte in unius ore vileſceret tanti *facinoris* indicium, confirmatur ulterius ex *Henrici Conſtabilis Manuſcriptis Adverſariis.* Is autem hoc habuit à *Iohanne Stoo* celeberimo noſtro *Chronographo.* At nunquid tale aliquid *Stous* retulit in Faſtis? Nequaquam, non auſus eſt, non neceſſarium erat, ſufficiunt *Traditiones* non *ſcriptæ* ad *brutum aſſenſum.* Quæ revocant mihi in *memoriam Gerardi Mercatoris* de *rupe nigra quatuor Euripis*, & 19. *oſtijs*, ſub polo arctico Geographiam. Iſta autem agnoſcit Mercator ſe accepiſſe ex *Itenerario Iacobi à Cnoen*, Jacobus fortè didicit à *Gyraldo Cambrenſi*, is à *Sacerdote* quodam *Norvegiæ*, ille à *Mago* Oxonienſi, forſitan à noſtro *Bacono* (qui per *octiduum totum Mundum* fertur *circumequitaſſe*) Magus proculdubio à *Cercumductore Diabolo.* In quo *principio deſinit* hæc non diſſimilis *Champnæi Analyſis.* Sed ut *larvas* iſtas tandem dimittamus, cùm de *Ordinantium* facultate ſatis conſtet,

De Inveſt. Chr. Eccleſiæ, c. 3.

Lib. 3. cap. 8.

Duasi Anno 1616.

quid contra *ordinatos* aut *ordinationem* excipiant? Annon promoventur plerunque tales (vel ex disciplina nostræ Ecclesiæ saltem debent) quos *Academica* commendârit *Institutio?* Annon observantur & in *consecratione Episcoporum* antiqui *Canones*, & in *ordinandis Presbyteris*, & *Diaconis*, debita cum effusis *precibus manuum impositio?* Sed *inebriatis* & *dementatis* poculo *Babylonico*, *Paulus* erit *Puritanus*, *Evangelium* (ut blaspemant Judæi) *Avengelaion*, volumen Iniquitatis. Quia concorditer astruunt omnes *Beati Doctores* (si *Lanfranco* contra *Beringarium* fides sit habenda) *Hæreticum* esse omnem *Hominem*, qui à *Romana Universali Ecclesia* in fidei *doctrina* discedit.

Elias in Tisbi Radice גלה *ex Aruck.*

10 At qui tam supercilioſe revocant ad ferulam nostros *ordines* & *vocationem*, pro imperio μοχθηρονηρονῦλες, ubi non vacat sedes; indicent nobis, quis *vocavit* & *ordinavit*, ut *servus servorum*, *Dominorum Dominantium*, capitibus inequitaret; principes *exaltaret*, aut *deponeret* ad suum nutum, aut ad *crepidæ* demitteret *osculum*; conscientiis omnium *leges præscriberet*; & extra terræ *terminos*, in *cælum* & *infernum* dilataret *Episcopatus* pomœria? Quis vocavit *Cardinales* ut immemores *curæ parochialis*, *Regibus*, se tandem *componerent*, & tantùm non *præponerent?* à quo gurgustio irrepserunt *Abbates*, & *Ordinum Generales*, ut unà cum *Episcopis* sedeant in *Concilijs*, & *suffragia* ferant decisiva? Rationem tot suorum *Ordinum* & *ordinationum* reddant (si possint) *Fratres mendicantes*, reddant *Moniales* ipsorum *Sororculæ*, cùm in *sudore* vultus *panis sit comedendus*, & *Mendicus* in *Israel* non sit ferendus. Postremò ne *Camerinam* hanc *memphiticam* nimium moverem ad Nauseam E *transfugis* nostris *Papicolis*, (qui mallent *exules* lenocinari *Meretrici extraneæ*, quàm domi *Matri castissimæ* & *indulgentissimæ* debitum exhibere obsequium) quis *revocavit* aut *vocavit sacrificulos* & *Iesuitas*, ut per *Lemures* & *spectra*, sive ab *orco*, sive à *Purgatorio* excitata, *mulierculis* præsertim & *ancillis Catholicismum* tandèm instillarent? Unde didicerunt ex *apertis*, *compertis*, & de *composito excogitatis mendacijs*, *Evangelium* esse propagandum? Quis, ordinavit nobis *Boanerges Garnettum* & *Oldcornum*, ut per pulveris pyrii Tonitrua (surdo alias) *Parliamento* concionarentur.

Gen. 3. Deut. 15.

Crestio.

11. Cum talibus Bestiis *ubiq; vobis luctandum est*, (dilecti Filii) *ideoq; tanto solicitiùs* (*priusquam vos dimittam*) *estis à me* instruendi & armandi. Ferunt *lupos vel famæ cogentissima ad* prædam *Congregatos*; *si* ignis *aspiciant* Fulgorem, *pedem statim* referre & expectare *donec extinguatur. Talem ignem includit hæc* laterna, *quam vobis primum hîc porrigo, qui non tantùm sit lucerna pedibus vestris, & lumen semitis*; *sed &* lupos *abigat, qui plerunq; grassantur* noctu, *& in* tenebris *ovili insidiantur. In comitijs* Vindelicorum, *cum* Episcopus Albertus *aliquando legeret* Biblia (*referente* Luthero) *& interrogâsset quidam è* Consiliariis, *quid* libri hîc esset, nescio equidem (*respondet*) qualis sit liber, *sed* omnia *quæ in eo lego*, nostræ Religioni planè sunt contraria. *Annon ex tali* specimine *facilis est conjectura, quanti faciant* Romanenses *hoc* cœleste chirographum? *At vestræ latent*

Biblia.

1530.

In sermon. convival.

in

in hoc vocationis literæ miſsivæ, *latet ſplendor* purpuræ, & *Doctoratûs*, *latet æternæ ſalutis* Arrhabo. *Deſcribuntur* Aaronis *ad* Sacerdotium *Inauguratio*, Moſis *manſuetudo*, Petri *viſcera*, & dilectio *in* oves & agnos *Domini*, Pauli *ſumma diligentia* & περίνοια, *aliorum* Patrum, Doctorum, Profeſſorum vigiliæ, pugnæ, victoriæ, *ad quam conatus veſtri ſine* fuco *aut* tergiverſatione *ſunt in poſterum perpetuò conformandi*: *Quod, ut ſtudioſiùs fiet & confidentiùs, Accedit* ſecundò *annulus* ſignaculum fidei (*juxta* Eucherium) & Dignitatis *inter fratres* authoramentum. *Ecquid animadvertitis, quàm indulgenter agit* benigniſsimus pater *cum redeunte* Filio prodigo *in* Evangelio? *vidit* nudatum, *adaptat* ſtolam, *obſervat* dejectum, *adornat* dignitatis annulo, *aſpicit* diſcalceatum, *proſpicit ipſi de* calceis, *occiditur* vitulus ſaginatus, *conducuntur* Muſici, *inſtituuntur* Epulæ, & *ita quaſi in* promotione Filij *celebrantur* Comitia. *Ad eundem* typum ſtolam *hanc* Coccineam, annulum aureum & ocreas, *ni fallor vice* ſolearum *indulget vobis* alma mater Academia, *ut anteactæ induſtriæ* Trophæa, & *collatæ dignitatis* Inſignia *Indulget* vitulum, ferinam, ſymphoniam, & (*ut in* ablactatione Iſaac *fecit* Abraham) *inſtruxit* שתה גדול, inſigne *veſtri cauſâ* Convivium. *Veſtrum igitur eſt impoſterum ut* obſequentes Filij, *hæc gratiſsimâ* memoriâ *ſemper recolere, nec ablactati, ſtatim* (*ſicut* mulæ) *ubera calcibus petere. Non* ſuperioribus *detrahere, non* Inferiores *depexioris Obollæ Fratres, aut Minoris, limis oculis aſpicere.* Simia *poteſt* purpurâ *veſtiri*, *Sus in* roſtro *geſtare* annulum, *nec* equitem *à* bubulco *diſtinguunt ſolùm* ocreæ. *Niſi igitur lateant* intùs, & (*datâ vice*) *pateant* Infuſæ & acquiſitæ virtutes, *fruſtra iſti externi ornatûs oſtentantur* habitus. *Sed nec iſti ſufficiunt ad* Decorum, *niſi pileum etiam addatur in debitæ* manumiſsionis πιλιδεσιον. *Accipite igitur* Quadratum, *ut undiq; vos Quadratos in Dictis, Factis* (& *quantum fieri poteſt*) *in Concupitis, præſtetis. Iam nil amplius ſupereſt, quàm ut* oſculo charitatis *vos dimittam. Hactenus* Inceptores *audiviſtis, ſed jam non amplius* tales *eſtis, ſed* Doctores: Doctores *autem, non ad* dominandum, *ſed* docendum. *Non è* vobis *quiſpiam* (*ut teſtentur omnes*) *aſſumpſit ſibi hunc* honorem, *ſed legitimè pro more vocatus, ſicut* Aaron. *Vt autem* Aaroni *non defuerunt* Iannes & Iambres *qui obſtabant* ipſi & Moſi, *Ita ex* oppoſito (*ut videatis*) ſuggeſto *apparet vobis* Adverſarius,

Annulus.

Luc. 15.

Pileum.

Oſculum.

Resp. Nath. Norrington. B. T.

Adversarius, *qui* unus *quasi* omnes *vos in arenam provocat. Filius est etiam hic* meus, *sed natu* minor, *& inferioris subsellij. Quædam nescio quæ pollicetur de* Simplicitate voluntatis, *de* Dei Misericordia *&* Iustitiâ, *de* Essentiâ *&* Attributis. *Intelligat autem à vobis Doctoribus quàm facilius sit, de Infinito multa proponere, quàm unum aliquid certò explicare, & determinare.*

Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, *sit omnis laus, honor, & gloria, in secula seculorum,* AMEN.

ORAT. IX.

ORATIO IX.

INAVGVRALIS IN PROMOTIONE DOCTORVM

HEN: KING. IOH. KING. CAR: CROOKE. THO: HORNE. NATH: GILES. EDWARD: METKERK. BR: DVPPA. ROG: MAYNWARING.

OXONII in Comitiis habita Anno 1625.

De Pseudoepigraphis.

2 THESS: 2.

1 *Rogamus autem vos, Fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum.*

2 *Vt non citò moveamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per Spiritum, neque per Sermonem, neque per Epistolam tanquam per nos Scriptam:*

OBservatu dignum est (P. F. *Filij*) cæterique *Doctrinæ & honorum titulis* spectatissimi) Ecclesiæ hostes, *duplici aggere* ejus munimina semper invasisse; *vi* & *astu*; ut quod *Leo* non potuit, *vulpes* forsàn demoliretur. Venite (inquit *Pharao* de *Israele*) *Sapienter opprimamus eum*, ne forte *multiplicetur*, & si *ingruerit contra* nos *bellum, addatur inimicis nostris*. Ita post Ethnicorum *latebras*, nocentiores admovet machinas *Julianus Apostata*; ad *Sophismata* descendit *Antichristus*, ubi animadvertit *cruentatos* suos *ungues* amplius non valere. Quare cum *simplicitate Columbinâ, prudentiam serpentinam* commendat suis *Servator*. *Colossensibus* inculcat *Doctor Gentium*. Partitiùs repetit ad *Thess. 2do. cap. Epist. 2a. ver. 1. & 2. Rogamus autem vos, Fratres.*] Quod imperari mihi *processus*, ad *instruendos, creandos, & dimittendos* hosce *Filios meos*

Exod. 1. 10. נתחכמה לו *sapiamus in illum.* Καταστρίζώμεθα αὐτὸν. Τίνι δὲ ῥήτορι μὴ ὄφις, ἢ ἀλώπεκι μὴ αἱ πλέκται. Mat. 10. μὴ τῇ ὄφεως πανουργίᾳ τὴν εὐαγγελικήν.

Coll. 2 4. Συλαγαγὼν διὰ τῆς φιλοσοφίας, &c. v. 8.

Selegi, ut *basin*, cui innitatur hæc *Filiorum* meorum *solennis Inauguratio*. Ubi nec *pensi* mei est, nec *expectationis vestræ*, ut discuterem singula, & *more concionis* accommodarem; satest, si carptim delibem, quæ præsenti inserviunt instituto. Rogat igitur *Apostolus Thessalonicenses Fratres*, ut post *triumphum fidei* & *tolerantiæ*, inter tot persecutionum *obsidiones*; Ne *Impostores* sive per *Spiritus Fanaticos*, aut *Familiares*; sive per *sermones falsos*, aut *fucatos*, sive per *Epistolas*, aut in alienum detortas *sensum*, aut prorsus *supposititicias*, illos demoverent citò à *vero sensu*, aut à suscepto *curriculo* deterrerent. Et annon hodiè elapsis haud ita pridem ex *Antichristi* Faucibus, eædem ad retrahendum admoventur *machinæ*? Quid frequentiùs *Romæ proxenetis*, quàm *Curiosos*, *Spectris*; *Credulos*, *Fabulis*, *Confirmatiores*, *scriptis adulterinis*, agggredi & dementare? Sic ut *Miraculis*, *Mendacijs*, *Pseudoepigraphis* jam lcatent ferè apud illos omnia. Fluctuat *ancilla* unà cùm *Domina*, aut *dotata virgo* cum *Matre viduâ*? *Miraculo* statim evadunt *Catholica*. Moritur *Professor Cordatus*, accerrimus per *totum vitæ curriculum Antichristi Antagonista*? In ipso tamen mortis articulo, *Mendacio* impudentissimè repetito, fiet *Pontificius*. Consulit *Patres Tyro*, quid de *Controversis* aut *obscuris* sit sentiendum? Pro *auro* accipiet *Carbones* & loco *Patrum*, putidissima *circulatorum commenta*. Et quoniam *ultimum* hoc, est *stratagema* præcipuum, quo literatis solent *palpum* obtrudere; sepositis (hâc præsertim vice) *miraculis* ipsorum & *mendaciis*, *coccineæ meretricis Spurii* hoc tempore sic examen subeant, ut pateat inter *hos* & *legitimos* discrimen; & debito stigmate notati *Nothi*, non in posterum hisce *Foliis meis*, aut *seris* imponant *nepotibus*.

D. Io. King R. Episcopus Londinensis.

2 De *Pseudoepigraphis Tria* mihi videntur præcipuè esse animadvertenda. *Primum causæ* sive *occasiones*, unde irrepserunt in *Ecclesiam*, *Secundum Impostura*, quæ inde *eveniunt*, aut *struuntur*. *Tertium Notæ* quibus à *Genuinis* secernantur. Ac *Causa* istæ commodè æstimentur vel ratione *Authorum* vel *Lectorum*. Ratione *Authorum*, vel *Excusandæ* sunt; vel *Defendendæ*. *Excusandæ* sunt 6. præcipuè. *Prima* erat *Modestiæ* aut *Humilitatis* in *Authoribus* nonnullis *studium*. Ita *Parte tertiâ Quinti Tomi Bibliothecæ Patrum* inveniuntur 4. Libri *Salviani Massilienſis Episcopi*, sub nomine *Timothei*; quibus *Author* (ut præfatur) proprium non apposuit *titulum*, ut quod in *honorem Domini sui fecerat*, *divinæ tantùm scientiæ reservaret*, & *res commendabilior Deo fieret*, *quæ famam publicam devitâsset*. Secundò deterruit *Metus*, ne aliqui *Authores* se nominatim proderent, priusquam *Apelleo* more, quasi sub *tabella* latitantes, *variorum* de *suo opere* explorâssent *judicia*. Hoc animo perlit *Nazianzenus* ab amico, ut *Libellum de Fide* adversus *Arianos* (dissimulato prius *Authore*) Doctis *viris* & *prudentibus legeret*. Quia si quem (inquit) *movisset*, quod *illic plus minusve positum videretur*, *consilio plurimorum posset emendari*. Tertia fuit causa nominis dissimulandi, Eorum *commodum*, à quibus se legi cupiebant. *Pro judicium* siquidem ita *nonnullos* rapit *transversos*, ut non dignantur *Tractatum* aliquem vel *utilissimum* respicere, quem *nomine invisо* insignitum sentiunt. Ita *Apostolus* omittit *Titulum in Epistola* ad *Hebræos*, propter *Invidium sui* apud eos *nominis* (inquit *Hieronymus*.) Imo ut *aversos* magis allicerent, & *vergiversantes* quasi *tendiculis* illaqueârent; receperunt se nonnunquam *Prisci* ad *pias fraudes*, ut quod suo non poterant nomine, suaderent alieno. Ita *Vincentius Lyrinensis* adversus profanas omnium *Hæreticorum novitates*, *Peregrini* assumpsit titulum

Orat. 49. Tom. 1. ex translatione Russini.

titulum (forſitan ut autumat *Sixtus Senenſis*) quò ab *Hæreticis rerum novarum avidis libentiùs legerentur.* Sic interpolata circumvolitârunt in primitivâ *Eccleſia*, oracula quædam *Sybillina*, & *Mercurij Triſmegiſti Fragmenta*; quæ *Obſopœus* & *Caſaubonus* pro *officioſis* tantùm habent *mendacijs*. Quarto non defuerunt, qui declinandæ *invidiæ*, *odii*, & *periculi* cauſâ, nomina ſcriptis ſuis non præfixerunt. Proſtat in *hoc genere* inter opera *Hieronymi & Origenis*, pro *Origene Apologia*, ſub *Pamphili martyris* titulo; quem *Hieronymus* attribuit *Euſebio Cæſarienſi*, & omnes docti conſentiunt. *Quintò*, puduit fortaſſe nonnullos *operis* minùs *elaborati* nomen præponere, ne *Indignitas ſubjecti*, aliquid *Authoris* famæ detraheret, ut in *gravioribus* poſtea *minoris* fieret. Hinc *libri quinque contemplationum* Tom. 10. *Bibliothecæ Patrum*, ſub *Idiotæ* occurrant *Titulo*, ne *rudioribus* accommodata *elucubratio*, *Authori* cultioris inſtituti parùm conveniret. Poſtremò *Inſcriptiones* effinxit non *paucas*, in *Progymnaſmatibus*, & Græcorum præſertim *μιμήσεως Styli exercitatio.* Quandò induit perſonam *Imitator* illius, quem cupit *exprimere*; nec *alio nomine* tranſit ad *poſteros*, unde conſtaret *differentia.* Hinc mutuæ iſtæ inter *B. Paulum* & *Senecam Epiſtolæ*, *Dialogus Auguſtini*, & *Oroſii in Geneſin*, & ejuſdem *cenſus* alia. Quæ utcunque veniam merentur *Authorum* reſpectu, incautioribus tamen præbuerunt hallucinandi anſam.

I præf. Exercit. ad apparatum. 10. ad numer. Baron. 18. & Exercitat. 6. num. ult.

In Ruffin. Apol. 2.

3 Modi ſeu *occaſiones illiberales*, quibus *ſparia* hæc creverunt *vitulamina*, ſunt vel à *Sycophanticis* quibuſdam *Ardelionibus*, vel *Impoſtoribus Hæreticis.* Primos deſcribit *Sixtus Senenſis* eſſe *Nebulones quoſdam ad imponendum & eludendum natos, qui nugas & nænias ſuas per jocum & ludibrium conficiat, præclaris inſcriptionibus adornant, ut dum indocti Lectores ejuſmodi ineptias, quaſi nobilium ſcriptorum fœtus accipiant, & cum admiratione evolvant, Ipſi interim non ſine riſu eorum oſcitantiâ fruantur.* Ita *Caroli* M. & *Rolandi* res geſtas delineat *Tenebrio quidam* ſub *Johannis Turpini Archiepiſcopi Rhemenſis* titulo; ad cujus imitationem *Lancelotus* de *Lacu*, *Amadeus* de *Gallia*, & ejuſdem ſpeluncæ non nominanda monſtra. Nequaquam (ut calumniatur *Poſſevinus*) à *Lutheranorum* officinis, ſed à *Monachorum* potiùs prodiere *clauſtris.* Celebris eſt Gerſonis Tractatus contra *Romantium de Roſa*, in quo peſtifera hujuſmodi commenta non *levi* caſtigat *brachio*, priuſquam *Luthers* nomen mundo innotuit. Hùc referamus etiam *Plagiarios*, qui *haud aliter* poſſunt *emergere*, niſi ex *ſubductâ* aliorum *ſcaphâ*, & *furtivis*, quibus ſe ornant, *plumis.* Objiciunt *Johanni Gaſtio Lutherano*, *Sixtus Senenſis*, & *Bretſerus*, quòd non tantùm *Paſchaſium Corbienſem*, de *veritate Corporis & ſanguinis Chriſti* in *Euchariſtia depravaverit* miſerè, ſed & collectanea *Bartholomæi Urbinatis*, ducentis ab hinc plus minùs annis ex *Auguſtino* congeſta, ediderit *detruncata* ſub *proprio nomine.* Quàm juſtè hæc impingantur Gaſtio, videant ipſius Symmiſtæ; mihi videntur *exemplaria* inter ſe collata, Gaſtium ſatis liberare. Sed ſi reponeret quiſpiam, *Guidonem Fabricium*, tranſlationem *Teſtamenti Syriaci*, à noſtro *Tremellio*, & *Laurentium Villavicentium*, *Rationem ſtudii Theologici*, à noſtro *Andreæ Hyperio* verbatim penè deduxiſſe, & pro ſuis *Reipublic. literariæ* venditâſſe; ex collatione fortaſſe operum non tam expedita erit illis (ut *Gaſtio*) defenſio. Poſtremò *Hæretici* parturiunt & fovent *Pſeudoepigrapha*, ut inde cùm deſint firmiora, *Inſomniis* ſuis *portentoſis* concilient authoritatem. Talia affinxerunt *Manichæi Apoſtolis*, apud *Auguſtinum*, *Ariani*, *Cypriano*, apud *Ruffinum*; *Neſtoriani* Athanaſio, apud *Evagrium.*

Bibliotth. ſelect. l. 14. ſub finem.

Bibliotth ſelect. l. 16. c. 3.

part. 4. p. 922.

Bibliotth l. 4 De Iure & More prob. lib. 2. c. 6.

Nec diverſæ ſunt monetæ *decretales Pontificum Antiquorum Epiſtolæ*, quæ *protrita* toties à *noſtris*, recuduntur tamen perfidenter in *conciliorum Tomis*, ut inde quoties uſus veniat, *Pontificia* confirmetur *Tyrannis*. *Ariſteam*, *Hermam*, *Procherum*, *Linum*, *Ignatium*, *Polycarpum*, *Dionyſium Areopagitam*, *Martialem*, quis è *Pontificiis* penè non fatetur, *nomina* tantùm eſſe *Antiqua* affixa *Recentiorum* deliriis. Crepitacula tamen tam *inania* (ut *crambe* millies *cocta*) identidèm hodiè reponuntur, & unà cum *Jacobi* & *Petri* Miſſa, *Marci Liturgia*, *Sybillinis oraculis*, & *duodecim Patriarcharum Teſtamento*, *Bibliotheca Patrum* ultimo, *Colonia* impreſſæ *Tomum* primum efficiunt.

Contra Fauſtum l. 22. c. 80. In Apol. hiſt. l. 1. Vid. Coci cenſuram, p. 41. & Rivet. critici ſac. l. 1. c. 8.

4 Obſervâſtis quomodo ex parte *Authorum* invaluit *Pſeudoepigraphia*, ſed nec *Lectores* minùs hîc *ceſpitârunt*; idque *duplici medio*. *Errore & fraude*. *Errorem* præcipuè induxerunt iſta quatuor: *Nominis Æquivocatio*, *Argumenti & ſtyli ſimilitudo*, *Defectus tituli*, & *Diverſorum tractatuum in unum volumen conjectio*. Per nominis *Homonymiam* palam eſt *Egeſippi* & *Joſephi Goronidis* recentiores partus, ſub *Egeſippi* diſcipuli Apoſtolorum, & *Flavii Joſephi Hieroſolymitani* inclaruiſſe titulis. Simili prodierunt *errore*, *Sixti Pythagorici ſententiæ*, ſub *Sixti Martyris* nomine. *Arnobio Lactantii præceptori*, aſcribuntur in *Pſalmos* Commentaria, quæ Junioris eſſe *Arnobii* ſub *ſeculo* 5to. *perſpicaciores*, tandem deprehendunt. Sic *Minutii Felicis Octavius*, in *Octavum Arnobii Senioris* librum; *Gregorii ſecundi* cognomento *dialogi* Inſomnia, in *Gregorii M. Dialogos*; *Thomæ Anglici*, in *Thomæ Doctoris Angelici* nonnullas *ſpeculationes* tranſiere, quæ attigiſſe properanti ſufficiat. *Argumenti* & *ſtyli* ſimilitudo, obtruſit nobis inter opera *Hieronymi* ad *Demetriadem epiſtolam*; quam vel ipſius eſſe *Pelagii*, vel *Juliani*, aut *Cæleſtii* oculatiores deſpiciunt. *Defectus tituli* in cauſa fuit, ut unuſquiſque arriperet *virgulam cenſoriam* ad ſupplendum illud quod deeſſe videbatur. Hinc iidem Tractatus ſub *diverſorum circumferuntur nominibus*, prout placuit ferè *Scribæ* aut *Typographo*. Tractatus de *virtutum* & *vitiorum conflictu*, occurrit ſub nomine *Ambroſii*, *Auguſtini*, *Leonis*, *Gregorii*, *Bernardi*. Liber de *ſingularitate Clericorum*, *Origenem*, *Cyprianum*, *Auguſtinum* præfert Authores; Ita *Cypriano*, *Auguſtino*, *Hugoni de Sancto Victore* Liber de 12 *abuſibus* ſeculi à *diverſis* inſcribitur. Tractatus de *Eccleſiaſticis dogmatibus*, nunc ſub *Tertulliani*, aliàs ſub *Auguſtini*, frequentius ſub *Gennadii*, *Tritemio*, ſub *Alcuini* venit nomine. *Hieronymum*, *Auguſtinum*, *Eucherium*, *Authores*, Tractatus de *Eſſentia divinitatis* indiſcriminatim invenies. Tractatum de *Aſcenſione Eliæ*, neſcias an *Chryſoſtomo*, *Hieronymo*, aut *Euſebio Emyſſeno* tribuas. Vel de *Triplici habitaculo*, *Auguſtino* aut *Bernardo*; vel de *Igne purgatorio*, *Cæſario* vel *Auguſtino*; vel de *fide* ad *Petrum*, *Auguſtino* aut *Fulgentio*; vel de *vocatione Gentium*, *Ambroſio*, *Proſpero*, aut *Eucherio*. Auxit demum hunc *errorem Diverſorum Tractatuum*, & *Authorum* in unum volumen conjectio. Ita conſpicions aliquis librum de *Cardinalibus* Chriſti *virtutibus Cypriani* annexum operibus abſque *proprio titulo*, illum ut genuinum *Cypriani* fœtum commendat poſteris, quem tamen non eſſe *Cypriani*, *Bellarminus*, *Poſſevinus*, *Johannes Heſſels* tandem fatentur; & nos ex *Manuſcriptis* (quæ ad manum ſunt) *indubitatis*, *Arnaldi* eſſe *Bonævillacenſis* certò agnoſcimus.

Vid. Cocum & Rivet. ubi ſupra Præfat. ad iſtas ſent. Biblioth. Patrum Edit. Coloniens. per Hier. An. 1618. Cocus Rivet. Foxus in Martyrol.

D. Tho. James in Tractatu de corrupt ſcript. concilior. & patrum, Anglicè.

In Biblioth Bodleian. & Collegij Omn. Animar.

5 Atque hactenus *Error legentium Pſeudoepigraphis* locum fecit, ſuccedunt non *pauciores* ex *Fraude Impoſturæ*. Prima eſt *Typographorum* aut *Inſtitorum* αἰσχροκερδία, qui *partus* tenebrionũ *abortivos* aut *deformes*, alicujus *celebrioris*

brior ù Authoris illuſtrârunt Titulo, ut occultârent tali *fuco* protuberantes *nævos*, & *Licitatoribus* ſuaviùs imponerent. Ita adornantur cujuſdam *Agyrtæ* in *Geneſin* & *libros Regum Centones* ſub *Eucherii*, & *Lactantiæ* cujuſdam *Rapſodi recentioris* in *annuas* Evangeliorum *lectiones*, ſub *Euſebii Emiſſeni* pallio. Et nonne eodem fuco proſtant alicubi *Theophylacti* in *Paulum*, & *Rabani* in *Ieremiam Collectiones*? Compendium *Theologicæ veritatis*, quod primum ſub *Alberti Magni*, deinde ſub *Bonaventuræ*, tandem ſub *Iohannis de Combis* prodiit auſpiciis; Ante decennium, & *novum* aſcivit *Dominum* & *titulum*; Compendium de *Combis*, R. D. *Sebaſtiani Viſcheri* ſit *Syſtema Theologicum*; ut *novo titulo*, *rubris characteribus* conſpicuo, *novum* acquiratur *pretium*. Turpiſſimum hunc *Balatronum* quæſtum, non parum promovit *Sectarum* & *factionum* κακοζηλία, qui nil penſi habent, quid fiat de *nominibus* aut *famâ*, modo id quod volunt, propagetur. Conqueritur *Ruffinus in Apologetico*, *Pneumatomachos* edidiſſe *libellum Tertulliani de Trinitate*, *variis maculis decoloratum*, ſub *Cypriani nomine*; & *viliùs* vendidiſſe, ut incauti emerent *libentiùs*, & *venenum* citiùs imbiberent. Ita obtruſerunt *Apolinarii* blaſphemias, *Neſtoriani* & *Eutychiani*, ſub *Athanaſii* Titulo, ad *eaſdem* palliandas & propagandas. Ita nuper *Fauſti Socini* diſputatio in 7. caput ad *Rom:* ſub *Proſperi Dyſidæ larvâ delituit*. Nec dubitat *Sixt. Senenſis Oecolampadio* impingere, quod *librum* (quem *ipſe* contexuiſſet) *de ſanguine & corpore Chriſti*, ſub *Bertrami Presbyteri* emiſiſſet nomine; ut prodiit ferè eodem tempore (ſi fides eidem *Sixto* ſit habenda) *Caroloſtadij* opus adverſus cultum imaginum *Caroli Magni* inſignitum titulo. Atquî ægerrimè erit *Sixto* oſtendere, vel primum iſtum *Tractatum* non fuiſſe *Bertrami*, vel ſecundum, *Caroli*. Nam ſi *Bertrami* non ſit, ſed *Oecolampadij*, cur primum à *Clemente* 8°. (agnoſcente *Poſſevino*) deinde à *Sandoval* prohibetur, ſub ipſius *Bertrami nomine*, abſque minima *Oecolampadii* notâ? Et ſi in *Carolum Magnum* intumuit *minor* (neſcio quot ſtadiis) *Caroloſtadius*; quid fiet de quatuor iſtis libris *Caroli Magni* de *Imaginum cultu*, quos in *Bibliotheca Archi-palatina vetuſſimis literis Longobardicis conſcriptos*, profitetur ſe vidiſſe *Steuchus Eugubinus*; & è quibus in *defenſione Donationis Conſtantini contra Vallam*, ad *verbum* non pauca tranſtulit; nunquid aliquid ſcripſit *Caroloſtadius vetuſtiſſimis literis Longobardicis*? Pergit *Sixtus*, & eâdem fronte *Calvinum* aſſerit de *Trinitate* quendam *Tractatum* (fretus ſcilicet *Anagrammatiſmo*) ſub *Alcuini* evulgâſſe *Inſcriptione*. Sed cur hoc non *notavit* & *perſtrinxit* Quercetanus Papiſta, qui *Alcuini* opera nuper recenſuit, & edidit? Cur negligit *Poſſevinus* in *Apparatu*? Uterque aſſerit hunc *Alcuino* fœtum; de *Calvino* autem nulla ſuſpicio. Tam *edentulæ* apud ſuos ſunt *Sixti* in noſtros Calumniæ. *Quartò* aggreditur *Bullingerum*, ſed quid patravit? Scripſit ſcilicet librum contra *viſibilem Chriſti Eccleſiam*, inſcripſit verò *Athanaſio*, *de vera & pura Eccleſia*. At cùm conſtet inter *Bullingeri* aut *Athanaſii opera*, de *tali libro* aut *titulo*, adaptabitur *Sixto* reſponſio. *Quintò* ſomniavad libitum *opuſculum* quoddam *Buceri*, adverſus *merita bonorum operum*, ſub *Inſcriptione Iohannis Epiſcopi Roſis* (vult dicere *Roffenſis noſtri*) proſtare. At quis emiſit? *Typographus Colonienſis Pontificius*. Si ſubſit *dolus*, ſuos vellicet, *nobis* iſthic non ſeritur. Pſeudoepigraphiam quidem ſubolfaciunt, *Pitſeus* & *Poſſevinus*; *Bucerum* tamen liberant, nec *alteri genitori nothum* remittunt. Quod ſubtexit ultimò de *Bernardini Ochini Italicis concionibus Epiſcopo Iuſtantinopolitano* inſcriptis, *dilutum* planè eſt; tum quia *Ochinus iſte* in plurimis noſtris nunquam placuit,

Pontamuſſi impenſis author. 1614.

Biblioth lib. a: Vid. D. Humf. Lynd. præf. ad Bert. Ang.

Apud Heredes Arnardi Birkman. Colon. 1566.

Le Illuſt. Anglia ſcript. etat. 16. *in Apparat.*

placuit, & extant istæ *conciones Italicæ* in *Bibliotheca* nostra publica sub *nomine* ipsius *proprio*, non *Episcopi*. Quare frustra eandem eramben recoquit *Gretserus*, ut & illud de quibusdam *Vergerii opusculis*, de *Justificatione*, *Fide*, & *operibus Cardinali Fregosio* ascriptis, cùm nec talis *impostura* (quantum scimus) vel *vola* apparet aut *vestigium*.

L. 2 c 3. de prohibend.

6 *Tertiò transversos nonnullos* rapit, præposterum *Adversariis* detrahendi *studium*, ut quos *justo Marte* non possint, *technis* saltem deridendos propinent, unde conqueritur *Origenes*, *sparsa* fuisse à quibusdam *nonnulla* contra *Ecclesiæ fidem*, ad conflandum ipsi *odium* aut *invidiam*. Eadem contigisse utrique *Clementi Romano* & *Alexandrino* inter *Græcos*, *Hilario* & *Cypriano* apud *Latinos*, fusè narrat in Apologia pro *Origene Ruffinus*. Addit cujusdam *Apollinaristæ*, *inauditam* Tractatui cuidam *Athanasii* factam injuriam. *Presbyter* quidam *Orthodoxus* contendebat, *Jesum Christum* ab *Athanasio* (ubi de *Incarnatione* agit) *Hominem* dici *Dominicum*; postulat *Apollinaristæ* dari sibi *codicem*, quo *ignorantibus* aliis & *negantibus* satisfaceret. Accepit, inspicit, invenit, *rem se ita habere*, fadit *locum*, & de novo *eadem verba* scribit, librum *restituit*, de novo recurrit *quæstio*, liber adducitur, *litura* clamat fraudem, Faba cuditur in *Orthodoxum*. Sed quia *viventi* facta sunt hæc à *vivente* (subjicit *Ruffinus*) facilè apparuit *Orthodoxi* innocentia, & *Hæretici* insignis παρεμφασις. Sed quid *conclamata* refodio? Quàm celebris erat *Erasmus*, & meritò superiori seculo? Invenit tamen *Dominicanum* quendam (ut dolens scribit ad *Johannem Abstemium*) qui sub *ipsius nomine* scripsisset, & edidisset nonnulla, ad *Monachorum* causam stabiliendam; de quibus ipse *ne per fevorem* quidem unquam somniavit. Quin & *Bellarminus* ejusdem quandam citat Epistolam, quâ contendit probare *mores Evangelicorum esse pessimos*; quæ inter opera *Erasmi* (quod sciam) nusquam comparet. Contra alii *immoderatâ* alicujus scriptoris *occasu* veneratione, *Alienæ* ipsi & *indignæ* forsitan supponunt: ut ita *multitudine* & *varietate* operum magis inclaresceret. Hoc *studio* dicam an *delirio*, *Thomistæ* quidam *Aquinati*, *suo Divo Tutelari*, *in Genesin*, *Isaiam*, *Jeremiam*, *Threnos*, & *Epistolas Catholicas* affingunt *commentaria*, quæ ab ipsius *genio* & *stylo*, toto (quod aiunt) cœlo discrepant.

Apud Ruffin in Apol.

De Nat Eccles. l 4 c 13 in Append. ad lib. de Pontif. Roman cap. 23.

7 *Causæ* & *Occasiones* parent quibus *Authores* vel *Auditores*, vel *datâ operâ*, vel *ex accidente*, *Pseudoepigrapha* introduxerunt, vel admiserunt. Sequuntur (quod *lacundò* proposui) *Impostura*; quibus *velificantes* in rem suam *vaferrimi* nostri *Adversarii*, vel *Recepta* pro arbitratu rejiciunt, vel *rejecta* recipiunt. Ad typum famelici istius *Sacerdotis* in fabula, qui *pyra*, quæ antea *lotio* conspersisset, avidè postea comedit. Atque hìc libentissimè in limine largimur *Gretsero*. *Hæreticis illud esse familiare libros à se confictos*, *magnorum virorum nominibus insignire*, & profitemur 2do. cum *Harding*, *Harto*, & *Rhemensibus*, miserrimum esse subterfugium, *Authores* quia contra nos faciunt, ut *adulterinos* explodere, verùm an nos vel illi hoc faciant, supereſt, ut *in genere* discutiamus, & consignatis tabulis ostendamus. Proferunt *nostri* ex *Eleutherii* ad *Lucium Britannicum Regem Epistolam* (cujus *prototypon*, ut creditur, habetur hodiè in *Archivis Londinensium*) *Regem* esse *semetipsum Dei in Regno suo Vicarium*. Concutitur hinc *Pontifex* præsertim in *temporalibus suprematus*; quid respondent? *Multa sunt similia Epistola*, *quæ probabiliter eam confictam esse suadent* clamat *Parsonius*. *Ministram* magis refert *Anglicanum*, quàm *Episcopum Romanum*, addit *Apologista Causa Catholica*. Tam *facili* diffiant *spiritu* quodcunque (si non placet)

De jure & more prohibend. l. matos l. 2. c. 5. Ad Juelli provocat. Art. 1. Col. c. 9 divis. 3. Art. 17. 34. Speed in Chron.

Triplic. converſ. parr. 1. c. 8. Cap. 5.

placet) opponit *Antiquitas*. Proſtat inter opera *Hieronymi* (qui illam è *Græco* tranſtulit) *Epiphanii* ad *Iohannem Hieroſolymitanum epiſtola*. Eandem *Græco-latinam* nuper exhibuit in ultima *Epiphanii editione*, *Dionyſius Petavius Jeſuita*. Urgetur à Noſtris contra *Imaginum cultum*, quem non *verbo* tantùm, ſed *facto* videtur elidere. Quid Imagiaum ad hæc Patroni? Antehàc ita ictum declinârunt; *Waldenſis*, *Author* tantùm *perſtringit Anthropomorphitas*; *Marianus Victorius*, *Imaginem tantùm diripuit hominis profani*, quæ inſtar *Imaginum Chriſti* & *Sanctorum* ibidem honorabatur. *Salmerón*, *Sancto* percitus *Dei Zelo* in aliquo facto potuit *Epiphanium* errare. Neque enim *una Hirundo* facit *ver*, addit *Sixtus Senenſis*, ſed plus ponderis habere debet *authoritas* & *uſus Eccleſiæ*, quæ *Epiphanio* hàc in re non ſuffragatur, ſubjicit *Gregorius de Valentia*. Idem tamen *Valentianus*, una cum *Sandero*, *Duræo*, *Baronio* & *Bellarmino* recipit tandem ſe ad *damnatum* illud, & *miſerrimum refugium*, nempe totum illud de *veli ſciſſione* in iſta *Epiphanii epiſtolâ*, *adjectitium* eſſe & planè *ſuppoſititium*, quod novem rationibus *Bellarminus* operoſiùs ſuadere ſatagit. Admodum urit *Papicolas Luitprandi* lib. 6. de rebus geſtis in *Europa ſuo* tempore *Iohannis* 12. *Hiſtoria*. Illum ſcilicet *Sacerdotes* in *ſtabulo* inter *equos ordinâſſe*, in patris *concubinas iviſſe*, *Cyathum Diabolo* propinâſſe. Et ejuſdem *Damonomaniæ* alia; quo *ſtratagemate* ſe hîc expedient papo-latræ? Nempe depexo illo & *nimio* jam uſu, *retuſo*; *Luitprandi* illud non eſſe; ſed *Anonymi cujuſdam*, qui hoc *hiſtoriæ* ipſius appenderit. Quis autem iſte fuerit *Anonymus*, vel *quando* hoc fecerit, vel *quo argumento* hoc conſtet eſſe factum, altum eſt apud *Bellarminum* & *Baronium*, qui hoc nituntur diverticulo, *ſilentium*. Et ut ex *turbo* (quæ hic ſe ingerit) delectum tantùm habeam, & in delectu inſiſtam pauciſſimis. *Cælibatum* Sacerdotum perſtringit in Epiſtola quadam ad *Nicholaum Papam Udalricus Epiſcopus Auguſtanus*. Magis redolet *Udalricum Huttenum*, *novum Evangelicum* clamat *Peſanus*. Monſtrum depingit *Hildebrandum Benno Cardinalis*. Imo potiùs *Lutheranus*, inquiunt *Bellarminus* & *Florimundus*. *Fatuitatem* retundit *Bonifacij Octavi*, *Philippus pulcher*, tyrannidis ſuæ *phylacteria* nimis inſolenter expandentis. Sunt iſtæ Epiſtolæ *ſuppoſititiæ* concludet ex *Paulo Æmilio Stapletonus*. Eandem de *Athanaſii Synopſi*, *Nyſſeni Epiſtolâ* contra *Peregrinationem*, quamplurimis *Epiſtolis* & *tractatibus*, *Chryſoſtomi*, *Baſilij*, *Cypriani*, *Ambroſii*, *Fulgentii*, *Auguſtini*, *Bernardi* & *aliorum* ferunt ſententiam. Quin etiam ut quorundam *Conciliorum Elebertini*, *Francofurtenſis*, *Conſtantinopolitani*, 2. 6. & 7. explodunt *decreta*; & *Imperatorum Reſcripta* nauci faciunt: Ita ſi occurrat aliquid, vel apud iſtos *Papas*, *Leonem*, *Gelaſium*, vel in *jure Canonico*, aut *gloſſa*, vel in *Franciſci inſomniis*, vel *Brigitta revelationibus*, quod minùs faciat ad *ſalivam*; *ſuppoſititium*, *notbum* & *adulterinum* eſſe confeſtim vociferantur. Atque hoc *Baronio* eſt *honeſtum refugium*; *Vaſquez* verò, *præſtantiſſimum* & *veriſſimum* difficultati remedium. Prodiit anno ſuperioti *Iacobi Laurentii*, *Romana Eccleſia erga Sanctos patres veteres ſubdola Reverentia*; in qua quàm infirmiter & inconſtanter illos *attollunt*, *deprimunt*, *probant*, *damnant*, *Canonizant*, *anathematizant*, ex *propriis* ipſorum *teſtimoniis* ad oculum demonſtratur.

8 Quo ſupercilio *Recepta rejiciunt* ex dictis conſtat, ſupereſt ut ſtrictìm intueamur, quàm mutatâ fronte *Rejecta vocant ad partes*. Atque hîc alii quidem *Exanclorant* ſolummodò, quæ à *ſymmiſtis* æquè *Doctis* & *Nominatis* habentur pro *Authenticis*, alii *diſtrahuntur* eo mentis *divortio*, ut quod

In leb. c. 5. diſp. 32.

L 5. an. 247. De Idol l. 2. c. 7. De Imag. l 2. In Whitak. annal. Tom. 4. an. 392. n 51. De Imag. l 2. c 9.

Annal. T. 10. an 963. n. 3. Bell. de ſcripto. rib. ad an. 946.

Bellarm l. 1 de Cleric. c. 22. Florimund. Fabul Ioban. Papiſſæ, c. 17.

An Tom 1. an. 31. num. 18. 19. De Advent d. 2. d. 3. 2. 3.

Rejecta.

De Imag. l. 2: c 10. & 12. In explor. 1. præcept. Dialog. 3. In vitis S. part. 1. num: 26. De cruce. c 98. In Apparat.

uno in *loco* substernunt pro fundamento, in alio prorsus subruunt. *Coci nostri* & *Iamesii* censuræ, in hisce *Impostoribus* detegendis, quid aliud sunt, quàm ex hac parte copiosissimi & utilissimi Indices dispunctorii? E quibus mihi sat erit, unam aut alteram (verbi gratiâ) adferre *instantiam*. Inter opera *Athanasii Græco-latina*, Tom. 2. occurrit *bis Græcè*, & *semel Latinè* de *passione Imaginis* D. N. *Iesu Christi* a pud *Berithos* in *Syria* enarratio. Citatur passim à *Pontificiis*, *Bellarmino*, *Catechismo Romano*, *Colonienſibus*, *Lippamanno*, ad Imaginum cultum stabiliendum, idque non sine Elogiis *Historiæ Memoratu dignissimæ*, *Nobilissimi Græci Authoris*, *acerrimi Catholicæ fidei propugnatoris*, *luculenti & pii sermonis*, *ipsissimi Athanasii*, *Episcopi Alexandrini*. Accedunt *Gretserus* & *Possevinus*, ut ejusdem partûs patrimi, sive fideiussores. *Baronio* tamen nescio quid subolet, ut postquam in *Annalibus*, Tom. 9. ad ann. 787. num. 29. huic *spectro* verè *stramineo* detraxisset larvam; Concludit tandem in *Martyrol.* 9^bris 9°. planè constat *Authorem* istius *historiæ* non esse *Athanasium*. *Eusebium Emyssenum* non perstringunt tantùm *Hieronymus* & *Theodoretus* inter vetustiores, sed inter Recentiores, *Baronius*, *Possevinus* & alii, ut *Arianorum* signiferum: sed quid *Alanus*, *Bellarminus*, *Rhemenses* hâc ex parte statuunt? non solùm fidenter eum producunt in suæ causæ patrocinium, sed & protruserunt tandem *Colonienses* sub *Eusebii Gallicani* nomine, Bibl. patrum, Tom. 5 par. 1. Sic *Faustus Rheginensis* apertè notatur à *Gelasio*, *Fulgentio*, *Petro Diacono*, *Alcimo Avito*, *Adone Viennensi* & *Isidoro*, ut *Pelagianismo* infectus; militat tamen, ejusdem Bibliothecæ 3ª parte, Tomi 5^ti inter Patrum Veterum phalanges. Vertigine planè contrariâ *Symbolum* quoddam antehac, ut *Hieronymi* ad *Damasum* susceptum, agnoscitur tandem à *Bellarmino*, *Pelagii* esse ad Innocentium. Annon benè prospectum erat fidei *Romanæ* Catholicæ, in qua totannos *Pelagii*, pro *Hieronymi* obtinuerat *Symbolum*? Sed fundum fraudis & impudentiæ adhuc non attigimus. Quid quod non inferioris subsellii sacrificuli, sed ipse *Bellarminus Cardinalis*, *Authoribus* iis nonnunquam uno in loco nititur, quos in alio stigmate notatos dimittit. Ut *Imaginum cultum* astruat, ante mille annos obtinuisse contra *Calvinum*, urget *Quæstiones* ex *Vet. Testamento*, & *Novo* ad *Antiochum*, sub nomine *Athanasii*: At quid statim legimus in libro ejusdem de scriptoribus *Ecclesiasticis*? *Quæstiones* ad *Antiochum Athanasii* esse non possunt, nam q. 23. citat Author *Magnum Athanasium*, & ab eo dissentit; quod in *Recognitionibus* etiam admonuisset. Optimè habet (*Bellarmine*) invenisti conspicilla in exotericis, quæ omiseras antea in *polemicis*! *Petrum* Romæ usque ad mortem fuisse *Episcopum*, contendit idem *Cardinalis*, lib. 2. de *Romano Pontifice*, cap. 4. ex *Synopsi Dorothei*. Sed qualis iste (*O bone*) *Sanctus*, *Martyr*, *& Episcopus Tyri*, qui vixit sub *Constantino Magno*, & annon magni faciendum tam illustre testimonium? Atqui attendamus, quid de eodem *Authore* & *Synopsi* alias effundit idem calamus, idque non tantùm in libro de *scriptoribus Ecclesiasticis* (ubi relegit eum ut fabulosum) sed eodem libro 2do de *Romano Pontifice*, cap. 2. *Synopsis* (inquit) qui *Dorotheo Tyrensi falsò inscribitur*, *plena est narrationibus confictis*, *& mendacibus*. Eccè liber qui 2° capite exploditur, ut *plenus narrationibus confictis & mendacibus*; cap. 4. sequente fidenter militat inter *sacros* patrum *proceres*, ad ferendum pro *Cardinale* (qui modo eum rejecisset) *suffragium*.

9. Nimius fuiàn *Impostoris* istis detegendis; pauci credunt inveniri aliquos tam *effrontes*, præsertim inter *Christianos*, & *doctos*, nisi ii, qui *meretricis*

cu Babylonicæ merces penitùs inſpiciunt. Paucioribus abſolvi poteſt, quod reſtat de *Notis*, quibus *Pſeudoepigrapha* iſta diſtinguantur à *genuinis*. Notas hujuſmodi *undecim* tradidit cum ſuo expilatore *Laurentio Villavicentio*, Andreas *Hyperius*. Quos ſequitur D. Rivetus *prolegomen* cap. 14. Illos antea reduxiſſet *Sixtus Senenſis* ad *Tria capita*; *Tempus, dogmata, & ſtylum*. *Scultetus* poſteà ad *Stylum, Materiam, Subjectum, & Tempus*. Haud inconcinniùs forſàn poſſint diſponi, ut quædam ex illis ſint *inſitæ* ſive *inhærentes*, aliæ *aſcitæ* ſive *adjuvantes*. Prioris generis ſunt *Argumentum*, & ſtylus; poſterioris, *Tempus & Doctorum Teſtimonium*. *Argumentum* prodit *pſeudoepigraphon*, cùm *dogmata* impinguntur alicui ſcriptori, quibus alias ipſe conſtanter *adverſatur*; vel *perſonæ*, vel *conditioni* non congruunt. Quiſnam enim ſanæ mentis *ſedecem, iſtos tractatus* in *Leviticum, Cyrillo* ab *Harvagio aſcriptos, Cyrilli* eſſe exiſtimabit? dum in iis paſſim occurrant *deliria iſta Origenica*, de *Animabus* ante *mundum creatis*, & *Dæmonum ſupplicijs tandem finiendis*, quæ *Cyrillus* toto pectore averſabatur? Ita 80 *Canones Nicenæ Synodi*, ex *Arabico* converſi, & à *Jeſuitis Turriano* & *Piſano* mundo obtruſi, exploduntur ut *adulterini* à prudentioribus; non tantùm quia *Auguſtinus, Cecilianus, Cyrillus Alexandrinus, Atticus Conſtantinopolitanus, Ruffinus, Theodoretus, & Iſodorus*, canones ſolùm 20. iſtius *Concilii* agnoſcunt; ſed etiam quia 60. iſti, qui his attexuntur, ex *charactere ambitioſo* produnt *officinam* unde prodierunt. Quod & *ſtylus* etiam 2° tam *manifeſtum* reddit, ut *naſo*, neceſſe ſit indigeat, qui *fraudem* non olfecerit. Criticum hîc ſe præbuit *Eraſmus*, ſummo cum *ingeniorum* applauſu, cujus *vitula* aliquoties *arant Ieſuitæ*, utcunque *carpunt* & *calumnientur*. Nec ſanè in pleriſque ſecernendis requiritur *Ariſtarchus aliquis*, aut *Orbilius*; ubi enim legimus *Canonizationes, bullas, diſpenſationes, Commendas, Fraternitates, Irregularitates, Caſus reſervatos, Interdicta, Aggravationes, Reaggravationes, Præbendas, Annatas, Degradationes, Homagia, Vaſſallos, Talias, Gabellas, Diffidationes, Guerras, Treugas, Tranſubſtantiationem, Aureolas, Quodlibeta, Quidditates, Formallitates, Deciſiones, Replicas*, & hujuſmodi *portentiloquia*, ſub *Hieronymi, Auguſtini*, aut (*limatioris* iſtius *intervalli*) aliorum nominibus; nonne meritò illud uſurpemus in *Evangelio* λαλιὰ σὴ δηλόν σε ποιεῖ. *Loquela tua te manifeſtum facit*, non *Patrem* te eſſe ex *Priſcis*, ſed ex recentiori colluvie *monachum*? *Tertiò* ex *temporis calculo*: *Iuellus noſter Amphilochium* de vita *Baſilii, Rainoldus epiſtolis* quibuſdam *decretalibus, Sixtus Senenſis, Ambroſii*, in *Apocalypſin, Hieronymi*, in *Parabolas*, & *Ieremiam, Eucherii* in *Geneſin*, & 4. lib. *Regum Commentariis*, ut & alii aliis detraxerunt *larvam*. Nec contemnendi eſt ultimò *momenti, Doctorum* ſive de *ſeipſis*, ſive de *aliis Teſtimonium*. Notum eſt *Euſebium, Hieronymum, Sophronium, Gennadium*, alioſque *ſimilis ſtudii*, non *Authorum* tantum *Vitas*, ſed & *Catalogum ſcriptorum* diligenter exhibuiſſe. Qualem *Auguſtinus* ipſe reliquit, de *ſcriptis propriis*, ne forſàn *illud impingeretur, quod ſuum non erat*, vel *quod erat amputaretur*. In *Catalogis* igitur hujuſmodi cùm opus alias ſuſpectum non occurrat, augetur hinc *ſuſpicio*, vel ſi non ſubfuiſſet, injicitur. Unde *Synodi iſtæ Antiochena* pro *Imaginibus, Sinveſſana* pro *Suprematu Pontificis*, Romanæ duæ ſub *Sylveſtro* 1°, *Sardicenſis*, cum *additamentis, Epiſtolæ decreta* 9*quem*. *Concilii Conſtantinopolitani ſexti, Decreta concilii Florentini* ſuper unionem *Iacobitarum* & *Armenorum Inſtructio*, quæ non in *integris* Conciliorum *voluminibus* à *Surio, Crab, Nicholino, Binio, Paulo quinto* editis, ſed in *Caranzæ* tantum *epitome* aſſuitur, diſ-

De Rat. ſtud. Theol. l. 4 c. 9. Obſerv. 3. Aphoris. de Fructuar. patrū Lectione.

Vid. Cocicenſuram idemſit judicium de Decr. concilij Lateran 3. ſub Innocent. 3.

Widdring. Diſcuſſ. Diſcuſſion.

 punguntur

punguntur meritò à *Doctis*, quia ut forex suo *proprio* pereunt indicio.

10 *Præ* cæteris *vobis incumbit (D.F.) hæc* præcipue *respicere, ne* nubem *pro* Iunone, statuam *pro* Davide, umbras montium *pro* militibus *nimis oscitanter admittatis. Prolixior fui in* præcedentibus, *quàm par erat; usitata igitur hæc quæ jam restant* peragenda, & quovis anno *recurrunt, compendio possunt transmitti. Quapropter accipite* primo *hæc* sacra Biblia. *Obtrudunt (quod vos non latet)* Adversarij *una cum* his, & his *immista* Philonis Iudæi sapientiam, *Iasonis Cyrenei* Epitomen, & *alia ejusdem monetæ* Apocrypha; *ut* pari passu *(cum indubitatò* Canonicis, *ex* decreto Tridentino *ambulent; sed nec audent* rejicere, *quæ nos* recipimus, & *recepta hæc* sufficiunt, *ad quasvis eorum* impostura *in pulverem conterendas. Quid vobis videtur? Annon* indignum *est, (ut verbis utar* Tertulliani) Libertinos Equestribus, verbustos liberalibus, deditios ingenuis, Rusticos urbanis, scurras Forensibus, paganos militaribus *fraudulenter vestiri? Cùm vidisset* Menippus *apud* Lucianum, Sardanapalum *istum* Androgynum, *easdem sedes inter mortuos occupantem, cum* Hercule, Achille, & *cæteris ejusdem sortis* Heroibus; *ab* Æaco petiit, *ut istius effæminati* Calvariam *rigido suo* pugno *comminueret; Et quis* Cordatus *non consimili fertur impetu in istos* Allophylos, & populi filios, *quos evexit impudentia* vel Ignorantia *ad* Patrum venerandorum *subsellia. Credite* Apostolum (*ut* Thessalonicenses *olim) ita* vos *hodiè compellare.* Rogo vos (Fratres per Adventum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ Congregationis *in ipsum*, ut non citò moveamini *à* vestro sensu neque terreamini; neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam; *aut* Tractatum *quem vis* pseudoepigraphum. Si *simpliciores* hujusmodi *implicentur* laqueis, *vestrum est* expedire, *si* Effrontes *obtrudant, vos dispellite. Quod ut* Confidentiùs *præstetis sub* rato *Authoritatis* symbolo, *En vobis* Annulum, *(cujus moneat* forma, *ut* rotundè *agatis;* materia, ut syncerè; sculptura, *ut priusquam* merces suspectas *arripiatis, cum* servatore *prudenter inquiratis, cujus* habeant imaginem *aut* superscriptionem? *ut ita reddantur* legitimi indubitatis parentibus, nothi *verò* meretricibus, *ad quarum pertinent* lupanaria. *Sed quid?* nudato Capite *aut precariò sunt hæc peragenda? Absit dum adsint* Quadrata, *quæ* Rotundis *adaptentur. Sit ergo* pileum libertatis *vobis concessæ* indicium; *ut*

Annulus

Pileum

cum

cum cæteri ad pedes discant, *vos cum* Authoritate ex Ambone *doceatis. Tali* diademate *talium* Regum *redimenda fuerunt* tempora, *Coronanda* merita, *fovenda* studia, *excitanda* molimina, *ut vice* Patrum Ecclesia *inveniat filios, quos* Episcopos *constituat in omnibus* Provinciis. *Sed quales? num* pedestres, *quos incurvet* penuria *ad superbientis* Patroni *stapedam? Impar certè tunc esset cum* Equitibus Antichristi *congressus. Sed animadverto ex* ocreis *vestris, quod cogitatis* Ephippia, Itinera *meditamini, ad* congressum *vos accingitis. Cur igitur sic* accinctos *diutiùs ipse detinerem? Dicunt* Animas creando infundi & infundendo creari. *Certè more nostro* Doctores osculando *creantur. Qui igitur* spiraculum vitæ *insufflavit* Adamo, & Spiritum sanctum Apostolis, *vos* animet & armet *contra omnes* Ecclesiæ perduelliones; *ut sentiant* omnes, *non* augeri *tantùm* Filiorum meorum *numerum sed multiplicari* victorias. Septuaginta tres, per *summam* Dei benedictionem, *præmisi ex hoc loco vobis* Fratres; *vos* octo *ultra* octuagesimum *felicitèr extenditis* numerum. *Duplicentur in vos* Patrum & Majorum Heroici Spiritus; *ut firmentur* stabiles, *retrahantur* tergiversantes, *incendantur* Fratres *vestra alacritate*: & Hostes *ringantur*, & *ingemiscant*. Papismum *prosternite*, Arminianismum *conculcate*, Factiosos *constringite, ita laxate frœna in hoc* vestro primo Doctoratus incursu, *ut intelligat is qui jam discessurus est à vobis* Semibelga, & Schismaticus, *quid sit* Fratrum *deseruisse* seriem, & Anglis irritatis *se opposuisse*.

D. Hi & Io: King, R. Episcop. Lend Elisi.

Osculum.

Resp: D Metkerke ling. Heb. prof. Regius.

Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, *sit omnis laus, honor, & gloria, in secula seculorum.* Amen.

ORATIO X.

INAVGVRALIS IN PROMOTIONE DOCTORVM, &c.

OXONII in Comitiis habita Anno 1626.

De Spiritibus Seductoribus.

2 THESS: 2.

1 *Rogamus autem vos, Fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum.*

2 *Vt non citò moveamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per Spiritum, neque per Sermonem, neque per Epiſtolam tanquam per nos Scriptam, quaſi inſtet Dies Domini.*

BIennium jam effluxit (Venerandi *Patres*, *Fratres*, *voſque* qui huc confluxiſtis *Hoſpites*, undequaque ſpectatiſſimi & gratiſſimi) ex quo, numeroſo *Theologorum* fœlix puerperio, triumphavit in hoc loco *facunda* Mater *Academia*. Ab eo (quod ſine ſuſpirio vix recolimus) tempore ſive *peſtis* graſſantis, ſive *Parliamenti* diſſipantis, ſive *tædij* poſt tot labores languentis interventu, retraxit ſe quodammodo, non *deficiendi* periculo, ſed ut *reſpirando* refocillata, Spiritus recolligeret, & alacrior prodiret in publicum. Nunc igitur (ut videtis) votis veſtris, & ſuo muneri ſatisfacit. Adeſt Filiorum non *ignobili* ſtipata ſatellitio. Hos vero cum Nudius tertius in *Veſperiis*, ad Sanctuarii *trutinam* expenſos, nec abſque veſtro (ut ſperamus) *applauſu* vos acceperitis; Supereſt jam, ut illi etiam tot expetitum ſumptibus & vigiliis, tam prolixi itineris expectatum *Bravium* tandem aliquando conſequantur. Quod dum ipſe pro more, & munere, illis confero; poſtulat ſive veſtra expectatio, ſive negotii ſolennitas, ſive paternus meus (in tales præſertim filios) affectus, ut *viatico* ſaltem aliquo inſtructos dimitterem. Et quoniam

am verba ſapientum ſunt vel ut *ſtimuli* ad excitandum, vel ut *clavi* ad retinendum (ut profitetur ille antonomaſticῶς *Cobeleth*) ſi data ſint ab *uno iſto* Animarum *paſtore Ieſu Chriſto*, & ab ipſius *Magiſtris Collectionum*, piè & diligenter figantur; exiſtimate vos *Apoſtolum* hodie compellare, 2 Theſſ. 2. v. 1, 2. *Rogamus vos, Fratres, per adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ Congregationis in ipſum. Ut non cito moveamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per Spiritum, neque per Sermonem, neque per Epiſtolam* [tanquam per nos ſcriptam] *quaſi inſtet Dies Domini.* In quibus verbis & *ipſe* inveniam, quod opportunè ſatis proponam, *vos* quod audiatis, & Filii *promovendi*, quæ in Doctoris ſtadio obſervent obvia, ut ita (ſicut ſuadet *Apoſtolus*) prævisa minus terreant aut moveant.

Eccleſiaſtis, 12. מרעה אחד בעלי אספות

2 Verba, meum non eſt, *Interpretis* in morem, operoſiùs diſcutere, aut ſenſus *Analyſin* inſtituere. Teneatur tantum Apoſtolum, Theſſalonicenſes eoſdem alloqui in hac *ſecunda* Epiſtola, quos conturbatos, & tantùm non conſternatos accipiſſet à *Pſeudoprophetis*, ob inſtantem diem ultimi judicii. Hinc autem diſtracti nonnulli & quaſi ſiderati, ut in rebus prorſus concluſis, & conclamatis, vel *minus faciebant* rem familiarem, & miniſterium; vel ut non aſymboli diſcederent ex hac ſtatione, *Genio* ſtrenuè indulgebant. Conſtat *primum* ex calce hujus ſecundi verſus, Ne vos *ſeducat Spiritus, Sermo* vel *Epiſtola*, quaſi inſtet dies Domini. *Secundò* notantur ut θελοπλόκοις ἀτάκτως, v. 11. cap. 3. μηδὲν ἐργαζομένους ἀλλὰ περιεργαζομένους, Peripatetici *Amethodici, otioſi, furioſi*, non ſibi ipſis ſolum, ſed meliora cogitantibus injurii. Quid enim (inquiunt) annon ſignificavit ipſe *Paulus* in Epiſtola ad vos miſſa, non lugendum eſſe pro mortuis, aut ſuccumbendum ærumnis, quia Servator, quem vobis prædicavit, rediturus eſt propediem ad judicium, & nos omnes liberaturus? Annon expreſſa ſunt ipſius verba, *Diem Domini* venturum ut in nocte furem? vivos tum eſſe rapiendos in *nubibus* in occurſum Domini? quæ quid aliud ingerunt quàm diem iſtum pro *foribus*, actutùm nos præſtolari? Quod ſi iſta ſatis fidem non faciant, conſtat hoc nobis alias ex *Spiritu* revelante, & *prodigiis*, conſtat ex *Sermonibus* ab ipſo Apoſtolo habitis, & nobis certiſſima *traditione*, & relatione communicatis, conſtat per diverſa ipſius *Scripta*, quæ penes nos ſunt, & ad veſtras forſan manus hactenus non pervenerunt. Tria igitur (ut videtis) fuerunt *Impoſturarum* genera, quibus ad dementandos non ſatis in fide firmatos, *Pſeudoprophetæ* nitibantur, πνεύματι, λόγῳ, ἐπιστολῇ, *Spiritus, Sermones, Scripta*, ab his vehementiſſima obteſtatione, monet & munit Theſſalonicenſes ſollicitus Apoſtolus, nè cito dimoverentur, aut terrerentur. Statmique de *Antichriſti* adventu, clariſſima ſubjungit *Criteria*, ut omnes percipiant quam iſta ſunt confinia. Typum autem exhibent iſta omnia noſtrorum temporum (ut obſervat Vir *doctiſſimus* è noſtris) ac ſi non in *Theſſalonicenſium*, ſed in noſtram delineata eſſent cautelam. Siquidem *homo* iſte *peccati* qui ab illis erat expectandus, noſtris, & *Majorum* Capitibus per plurima inequitavit ſecula. Diſtruxit, perterrifecit, expilavit, è medio ſuſtulit, quicquid ipſi conducere videbatur, ad ſuam *pompam* & *palatum*. Et quid moliuntur hodie ipſius *Emiſſarii* & *Triclinarij*? annon ut *Spirituum* (ſi Diis placeat) Oraculis, & miraculis, *Sermonum* fucis, & fabulis, *Scriptis* Pſeudoepigraphis, aut Caſtratis, nutantis *Babylonis* columnas ſuffulciant & reſarciant? De *Pſeudoepigraphis* autem antehac, abhinc Biennio ex hoc loco filios monui. Nunc verò cum indies pergunt Circulatores, *miracula* ſpecioſiùs jactare, & *Mormolicea* ab Orco

C. 5. v. 2. C. 4. v. 17.

Juſtus in 2 ad Theſſ.

mutuatis infirmiores *movere & terrere*; Cùm paſſim apud credulos glorientur, *Sacrificulos*, & *Exorciſtas* ſuos, dominium neſcio quod in Spiritus & Cacodæmones obtinere, quotidie ipſos ex *energumenis* ejicere, Animas laborantes in *Purgatorio*, & nonnunquam apud vivos querulas, *miſſu*, eritis, aut indulgentiis, vel liberare penitus, vel ſaltem refrigerare, cæteros omnes inter nos & illos controverſos *articulos* (quos noverint ſe non poſſe ex Scripturæ Oraculis) *miraculis* tandem confirmare; Cùm Miraculorum *gloria*, & *lumen propheticum*; *Bellarmino*, ſint duo Eccleſiæ oculi, quibus tanquam Sole & Luna colluſtrat omnia; poſtremò cùm non deſint forſitan inter *domeſticos*, ex adverſa acie *Enthuſiaſtæ* nonnulli, inflati & præcipites, qui Spiritu nimium pleni, conventus (ubi poſſint) cogunt *clancularios* in opprobrium inſtauratæ Religionis, & tam egregie ſtabilitæ Diſciplinæ: Non ingratum erit (ut ſpero) vobis (*Patres* & *Fratres*) ſi prout ſpectat ad præſens inſtitutum, & non coactè manuducit Textus, *Primò*, ſi nonnulla præmittam de *Spirituum generibus*, & *Præſtigiis*, deinde *adjicium* quomodo probandi ſint, & ejiciendi. Ut ita intelligant omnes, unà cum hiſce *filiis meis*, quibus artibus hujuſmodi ſpectra cavenda ſunt & abigenda; & ipſi *Lemures* etiam, cum percipiant *Metamorphoſes* ſuas Sophiſticas, omnibus tandem patere, deſinant demum (ut antehac) *larvis* ſuis fidere, & ram impudenter in meridiana luce ambulare & imponere.

3 Ac Spiritum in genere ſumptum, quis neſcit modo *ſubſtantiam*, modo *Effectum* & *Affectum* in cœleſti Chirographo denotare? Iſta autem ſubſtantia, vel *Creator* eſt *Deus*, vel *Creatura*, eaque aut *incorporea* ut *Angelus*, *Anima*, vel *Corporea*, ut ventus, aer, Spiritus Animales, Vitales, Naturales in humano corpore, & quæ ſunt hujuſmodi. Ad *effecta* & *affecta* referuntur *accidentaria*; cùm Dei *Dona interna*, à gratia efficaci, *externa* per verbum, tùm ejuſdem *judicia*, in hoſtibus averruncandis, aut infatuandis. Hinc Spiritus *Vertiginis* & *Sobrietatis*, *Spiritus Sapientiæ* & *Soporis*, *dilectionis* & *diſſidij*, *mundus* & *mundi*: à quibuſdam (18,) ab aliis (33ia) adferuntur hujus vocis ſignificata. Sed mei inſtituti non eſt *Pneumaticam* tradere de *veris*, ſed larvam detrahere ſpiritibus quibuſdam *ſuppoſititiis*, quos Apoſtolus hic notat, ut innoteſcant, & ita noti minùs noceant. De *Ketello* quodam noſtrate, (refert *Nubrigenſis*) illum tali fuiſſe inſtructum *dono*, ut Spiritus quoſcunque, ac ſi fuiſſent corporei, intueretur. Nobis autem non opus eſt hujuſmodi *conſpicillis*, ſi ab effectis ad cauſas libuerit aſcendere. Ex conturbata & ebulliente *Bethesdæ* piſcina, ſenſerunt circumjacentes, quem non viderunt, deſcendiſſe *Angelum*, & è porcis in lacum ſe furioſe præcipitantibus, facilè divinâbant *Cheroboſci*, quò ſe contuliſſent *Dæmones*. Ut autem triplici egrediebantur cuneo *Philiſthei* ad deprædanda Iſraelitarum territoria, 1 Sam: 13. ita triplici Eccleſiam agmine adoriuntur ij, de quibus hic agendum, *maligni Spiritus*. Præcedunt *Fanatici*, ſive *Furioſi*, revelationibus & prophetiis gravidi. Succedunt *Phrænetici* & *factioſi*, Diſciplinæ, Epiſcopis, Fratribus, & quibus non, niſi propriis myſtis & myſteriis infenſi. Quos excipiunt demum *Fraudulenti* Spiritus & *ferales*, qui artem tenent fruendi aliena inſania, & optime nòrunt *Stratagemata*, quibus commiſſis inter ſe Adverſariis, & ſe *immiſceant*, & ſuos *immittant* ad diſtrahenda ſpolia. Inter *Fanaticos* autem & *furioſos* quis ſobrius diu moraretur? cum *Empuſis* tamen talibus *Valentinianis*, *Gnoſticis*, & *Montaniſtis* novimus diu, & moleſtiſſime dimicaſſe primitivam Eccleſiam. Diceres erupiſſe *Satanam* ab *Averni* faucibus, cum omni

Vid: Illyricum in Clav.

Rerum Anglic. l. 2. c. 21.

Io. 5.

ſuo

ſuo ſatellitio, ut in ludibrium Religionis Chriſtianæ, adornaret quaſi *Tragico comœdiam.* Quid *Ogdoadas*, *Decadas*, & *Duodecadas* fœcundæ iſtius ſcrofæ Æoniæ (ut lepide loquitur *Tertullianus*) commemorem? facilius *Irenæus* & *Epiphanius* iſtiuſmodi portenta refellunt, quàm recenſent. Recenſent tamen ante *Bereſhith Moſis*, Deorum inter illas & Dearum neſcio quot ſtupendas συζυγίας, & Genealogias, recenſent nomina terrifica *Ialdaboath*, *Ophiomorphus*, *Barbelo*, *Prunicum*, *Caulacauth*, & hujuſmodi, quibus *attonitos* potius ſuos reddebant quàm inſtituebant. Sed ſic ſtultescunt humani ingenii ſcrutinia, quibus vileſcit veritas in Sacris Literis revelata. Non aſſero *Monachorum* delira eo penitus veſaniæ cum iſtis perveniſſe. Si quis interea obſervet in Legendis, Poſtillis, Roſariis, pratis, viridariis; ipſorum Revelationes, Enthuſiaſmos, raptus, congreſſus, colloquia; ubi interventu alicujus *Spiritus*, aut delabentis è *Cœlo*, aut emergentis è *Purgatorio*, aut erumpentis nunnunquam è *Gehenna*, aut exeuntis ſaltem ab *extatico*, & ad omnia iſta loca peregrinantis, redeuntis, & referentis Myſteria; Non facile dixerit, quinam vitulo ſunt digniores, hi, vel illi,

Tantum Religio poſſit ſuadere furorum.

4 Atque optandum quidem fuit, inſaniviſſe tantùm in Papicolarum clauſtris iſtorum *ventriloquorum* afflatus, verum non ſegneſcit *Satan*, ubi inclinatas ſuas obſervat partes, obambulat, circumcurſitat, in quovis Angulo collocat ſuos emiſſarios, nec tam cupide caveam aliquam *contaminatam* poſſidet, quam in domum *verſam & ornatam* regreditur. Unanimes hìc ſunt, *Lutheri* & *Calvini* querelæ, *Fanaticos*, dum ipſi fortiter contra *Antichriſtum* in prima dimicabant acie, Spiritibus ſuis *limphaticis* à tergo commiſcuiſſe omnia. Notæ ſunt calamitoſæ & portentoſæ *Enthuſiaſtarum* hiſtoriæ, & quanto cum ſcandalo tunc eruperunt, in Evangelii ignominiam, cum excitata à *Luthero* Beſtia Apocalyptica, & non irritata tantum, ſed ſauciata multorum venabulis, ultimum ferè omnium bonorum judicio, efflâſſet Spiritum; niſi Spiritus iſti *inauſpicati* tam heroicos diſtraxiſſent & retardâſſent impetus. Quis per febrim unquam ſomniâſſet, homines alioqui ſat compoſitos, nec ab omni cultiori literatura imparatos, eò potuiſſe adduci væcordiæ, ut omnes *ſupereminentes* poteſtates excuterent? Polygamiam, & concubitus promiſcuos introducerent? omnia omnium, præter Sacras *Scripturas* ſcripta *Vulcano* conſecrarent? *Has*, præ manibus & in ore ſemper habere, & tamen vaticinantibus quibuſdam *Menadibus*, & ſordidis *Nebulonibus* ita fidem adhibere, ut *Sartorem* tandem exoticum, indoctum, mæchum, polygamum, ad *Regiam* ſimul & *propheticam* dignitatem eveherent? At hoc perſuaſit (ut notum eſt) Monaſterienſibus, per *Rotmannum*, *Cnipperdolingum*, & cæteros ejuſdem Maniæ, *fanaticus* & *furioſus* Spiritus: perſuaſit *Baſilienſibus*, per *Hubmierum*: *Belgis*, per *Melchiorem Hoffmannum*: *Sileſiis*, per *Swenfeldium*: aliis neſcio quot in locis, per *Pelargum*, *Coppinum*, *Quintinum*, *Fiferum*, *Pocquium* Sacrificulum, & *Muncerum*, ut adhuc ex iſto incendio fumat penè *Germania*. Atque haud ſcio an *Oceanus* interfluus, *Amſteroldamenſium* compita, hujuſmodi *titiones* omnes ibidem hodie extinxit. Sed quid noſtra *Britannia*? nunquid ejuſdem *Oceani* interjectu excluſit hos tumultuantes *Spiritus*? libentiſſimè de tali malacia, & ſedatis fluctubus gloriaremur. Sed novimus *Hacketos* & *Coppingeros*, quibus nunquam defuerunt ſpuria *vitulamina*, nec *Epiſcoporum* vigilantiſſimorum ſcopis, omnia hodie adeo ſunt purgata, quin

Io: Leidenſis.

quin *Hetheringtonianos* nonnullos *Capſulofices* adhuc retinet in angulis, quos pro *Pythonis* ſui dictamine, novos dies *Dominicos* celebrantes conſpiciamus.

5 Amandaſſem jamdudum has ſepulcrales Legiones in *porcorum* greges, debitum illis habitaculum, niſi manum injeciſſet *Campianus*, & conſimiles Spirituũ furores univerſæ NoſtræEccleſiæ in deſignando Scripturæ Canone, & textum præcipuè interpretando, effronti & *Ieſuitica* impudentia declamatoriè impegiſſet. Sed *Catellus* laſciviens cauda propria, exoſtenſo tantum baculo facile abigitur. Quid enim? an Spiritus Sancti interventum ad Scripturas intelligendas, & applicandas negabunt *Papales Spiritus*, qui modo ſcrinio *pectoris*, modo decernentis *Pontificis* Cathedræ, tam indivulſe illum aſtringunt? & ut *Ieſuitæ* proprio *Catharro* caput demulceam, Quærerem ab ipſo verbi gratia, quo jure depreciant corpus *Biblicum* ut putrida Traditionum Cadavera, non ἀγιάσματα tantum, ſed ἁγιάσματα pari pietatis affectu ſuſcipiantur & colentur? quem percontati? Spiritum. Conciliorum paſſim ingerunt ſupremam authoritatem, & neceſſitatem, & tamen agnoſcunt illa corrupta eſſe & depravata, nec plus valere in dirimendis litibus quam ipſius *Papæ* determinatio, nec ulteriùs conducere niſi ut ſuavius res diſponantur. Quis dictavit? *Spiritus*. Pius Quintus noſtra memoria ſubditos in Reginam *Elizabetham* Bulla excommunicatoria concitat. *Paulus Quintus* duobus *brevibus* juramentum fidelitatis *Regi Iacobo* præſtandum interdicit. Idem juramentum nuperrimè *Urbanus Octavus* noxium & illicitum pronunciat, præcipitque ut citiùs Catholicorum apud nos ſuorum linguæ, faucibus adhæreant, quam juſſi illud ſuſciperent, Noxium igitur & illicitum eſt hiſce Dei vicariis, ut innoxiis & legitimis Regibus ſubditi juramento ſpondeant religioſam obedientiam. Unde hæc Theologia? à *Spiritu*. Ejuſdem *fermenti* ſunt & iſta ἀπύσματα. Clericos eſſe Regum *ſubditos*, & tamen à ſæculari poteſtate *exemptos*, *Monachos ſupererogare*, nec legem interim *implere*. *Purgatorium* eſſe de fide, & tamen *Chriſtum* ſatisfeciſſe. Miſſas, indulgentias, extremam unctionem & pœnas *laxare*, & peccatorum reliquias *abſtergere*; nec tandem *certos* de ſalute dimittere. Quis conciliabit? *Spiritus*. Nos autem commercium omne deteſtamur cum *Noctambulonibus* hujuſmodi *Spiritibus*, qui lucem textus refugiunt. Ergo ut *Abbatis Ioachimi*, *Cyrilli Monachi*, *Hildegardis* & *Brigittæ* monialium prorſus averſamur *extaſes* & *inſomnia*, ita nunquam apud nos obtinuit *Brocardi*, *Brightmanni*, vel aliorum ex iſto raptu *divinatrix* & *prognoſtica* Theologia. Novimus enim Prophetarum Spiritus *prophetis* eſſe ſubjiciendos, nec ex *privatis* hujus vel illius afflatibus, ſed ex publico & ſcripto Spiritus Sancti dictamine Eccleſiam Orthodoxam ſapere. Judicent igitur non inebriati à Circæo Romæ poculo, quinam à privatis potius raptantur Spiritibus, *Is* qui jactat ſe ſolum eſſe *Spiritualem* illam *hominem*, qui judicandus à nemine, omnia tamen judicabit, vel *ij*, qui omnia ſua ſic ſubmittunt, ut ab omnibus juxta Scripturæ Canonem dejudicanda ſiſtunt in medio. *Is* qui pro *infallibilitate*, leges ferret pro libitu, an *ij* qui nullas accipiunt, niſi ex inſtrumento ſalutis publico. *Ii* qui errores agnoſcunt, an is qui *errare* ſe *non poſſe* jactitat. Cætera non perſequor, & iſta tantum interpoſui obiter, ex quibus conſtet quam toto ſolo & Cœlo diſterminentur, Fanatici & furioſi Enthyſiaſtarum Spiritus, à Spiritus Sancti ſuavi & ſalutari afflatu. *Illos*, ſerio amandamus ad *Abyſſum*, unde prodierunt, *hunc* obnixe petimus ut credamus, & ſubmiſſè

Bell. l. 1. de Concil. c. 9.

1 Cor. 14.

ſubmiſſè amplectimur, ut in veritatis & pietatis curriculo conſtantèr progrediamur. Spiritus cor *Lidiæ* aperit, ut credat, non *Enthyſiaſmum* infundit, quo ſeorſum ſaperet. Fontem non videt *Hagar* juxta ſe ebullientem, priuſquam Deus aperuiſſet oculos. Atque hoc ipſum eſt quod pollicetur *Salvator*, qui *diligit me*, & *ego ipſum* diligam: & *manifeſtabo*, *conſpicuum* meipſum illi exhibebo. Nec diffitetur hoc *Stapletonus*, & alii qui intelligunt quid loquuntur. *Campianum* interim pro vertigine *Rhetoricantem* dimittamus. Nos pergamus. Act. 16. Gen. 21. Jo. 14. 21.

6 Nimius fortaſſe fui in *furioſis* iſtis Spiritibus *exorcizandis*, dum *Lares* lateant, & pateant inter nos *familiares*, Factioſi interim & Moroſi *Eccleſiæ* non minus moleſti. Atque *ſecundus* hic *Philiſtheorum* Cuneus, *cætus* ſemper adoritur, non tàm ut *diſſipet* aut *infatuet*; quàm ut *congreget*, & *inflet*, adverſus legitimam cujuſvis ſuperioris *poteſtatem*. Ita *Corah*, *Dathan*, & *Abiram*, *Moſen* & *Aaronem* exagitant. Sufficiat vobis, quia *omnis multitudo* Sanctorum eſt, & *in ipſis* eſt Dominus: cur elevamini ſuper populum Domini? Sic *Donatiſtæ*, *Novatiani* & *Cathari* ſub prætextu zeli, & purgationis cujuſdam cultus, in adoleſcentis Eccleſiæ vere, perturbant omnia. Horum nimium terunt ſemitas, noſtri ſpiritus *Demogegici*, qui *Prælaturam* non ferunt, ubi ipſi cæteris non præferuntur, *Epiſcopos* detrectatos cupiunt, ut ipſi promoveantur. *Ritus* receptos exagitant, ut ad dictamen ipſorum *extemporaneum*, novi excogitentur pro ratione loci, temporis, aut vertigine proponentium, aut recipientium; *mutabiles* & *ambulatorij*. Sic ut hodie recurrat Threnodia gementis ſponſæ; *Cuſtodes* qui circumeunt Civitatem, *percuſſerunt* me, *vulneraverunt* me, abſtulerunt *peplum meum*. Quæris quænam ſunt iſtæ plagæ in medio manuum? his percuſſus ſum in domo *diligentium* me. Non diffiteor enim hunc *Spiritum*, *Angelum lucis*, ita compoſitè aliquoties induere, ut difficulter ab oculatioribus diſtinguatur. Quis veſte, geſtu, inceſſu, voce, vultu, victu, ad humiliratem, continentiam aut pietatem videbitur *comparatior*? & quis tamen erga *majores* contumacior, in *minores* ferocior, ſubditis gravior, omnibus magis *ingratus*? qui ambitioſè *dejectus*, ſanctè *elatus*, otioſè *ſedulus*, & in *rem ſuam* ob pervicaciam nonnunquam exauctoratus. Piſces ſemper gaudet extrahere ex turbatis alveis, nec aliquem inſectatur virulentiùs quàm diſſentientem à ſuis nugis, cujus *merita* & mores non poſſit juſtè reprehendere. Spiritibus *mutis* & *ſurdis*, nonnullos in Evangelio poſſeſſos fuiſſe legimus (ut aliqui hodiè inter nos incantati *Recuſantes*) at Spiritus, hi loquacitate & clamoribus omnes penè obtundunt conventus. Fatemur & omnimodò urgemus *Diem Dominicum* orando, audiendo, meditando, Eleemoſynas diſtribuendo, religioſè & conſtantèr eſſe tranſigendum. Sed quid importuni iſti Spiritus? preces decurtant *publicas*, ut ipſi prolixius *declament*, nec animadvertunt *Religionem* puram & immaculatam, in *Corde* potius quam in *labijs*, aut *auribus* ſedem figere. Quid juvabit omnia audire, intelligere, repetere, & nihil à *Deo petere*, vel factis præſtare? & quam ſacrilegum eſt, *Orationes*, & *Gemitiones*, quas Deus invicem connexas eſſe voluit, ambitioſo conatu inter ſe committere? Abſit autem (Patres & Fratres) ut ipſe ſedulis, & ſynceris *Paſtoribus* aut vocem retardarem, aut manus enervarem, aut zelum ex muneris conſcientia, et cordis ſimplicitate, accenſum quovis frigido temperarem; quin potius, quam vocalibus poſſum, lateribus & præcordiis contendo, *mutos canes*, *refugos mercenarios*, *rapaces lupos*, (& ſi qui alii ſint ex eiſdem luſtris) Num 16. 3. Cant. 5. 7. Zach. 13. 6.

clamoribus, fustibus, lapidibus, abiis à quibus oportet, vel arcendos esse à caulis Domini, vel ad munus peragendum cogendos; & orandum esse perpetuo Dominum *Messii*, ut fidos & constantes operarios, non personatos histriones, aut Holoserica idola, sacerdotiorum aut dignitatum Licitatores, & Harpyas, ex hoc, & similibus literarum *Emporijs*, quotidiè protruderet in vineam. Postremò nec ignoro quam multi *pii*, *pacati* & *cordati* Spiritus, qui id agunt præcipuè, non ex præcipiti, sed ex Domini altari accenso zelo, ut Deo, Ecclesiæ, Conscientiis, muneri (prout fert humana imbecillitas) sine scandalo satisfaciant; *Puritanorum* eo nomine amburi stigmate, præsertim si *Antichristi* exoletas, & rancidas merces, paulò animosiùs exagitant, aut Arminianismum (redivivum, revera *Puritanismum*, tàm quoad Doctrinam quàm Disciplinam) liberiùs retundunt. Sed quid? Non laudatis est igitur satis insistere, nisi hoc fiat tanto cum strepitu? partium Studio? Præsulum contemptu? fratrum opprobrio? Nisi solennes mutentur ritus ad tuum *Nova fert animus*, & distrahantur *Episcopatus*, ut tot sint *Summi Pastores*, quot *Pulpita*, tot *Episcopi*, quot *Parochiæ*, forsan etiam tandem tot *Papæ* quot *Episcopi*? Si nusquam tales inter nos deliteſcant Spiritus, unde tot *secessiones*, *conventicula*, *murmura*, *obtrectationes*, *Judaica* & *Sabbatica* insomniat? Unde Altare *Damascenum*, haud ita pridem in hujus nostræ Ecclesiæ disciplinam extructum? Sapere tandem discamus (Fratres) vel ab *Antichristi*, vel ab hujus mundi sobole inter quos hæret *pedi pes*, *denſuſque viro vir*, ut nos exarment, & dissipent. Si Conciones velitis, concionemur. Si mores reformatos, reformemus. Si religiosam Dei Dominicæ observantiam; orando, prædicando, audiendo, meditando, & devotè indigentibus subveniendo; unanimes illam observemus. Desinant interim *larvati hypocritæ* tumorem, livorem & atræ bilis morositatem, sub *puritatis* pallio obtegere, ita suavior esset nostra in Ecclesia, & privatis consortiis *conditio*, & instructior exercitus sub *sessoris equi albi* ductu, adversus fraudulentos & ferales *Dracones*, & *Bestiæ Spiritus*, qui tertium phalangem hìc contra Christi sponsam instituunt.

7 Deplorandum satis quispiam duxerit, jactatam sponsæ conditionem à Spiritibus istis *Furiosis*, & *Factiosis* de quibus diximus; cæterum ab hisce liberatam, Fraudulentiores adeoque periculosiores impetunt: qui quò compositius incedunt, & *Catholicæ* Antiquitatis canitie, Disciplinæ rigida observantia, & *miraculorum* specioso obtentu, obvelant omnia, eò facilius illabuntur in infirmorum pectora, affectus illaqueant, captivas ducunt conscientias, populo imponunt, Magistratibus illudunt, non *Catechizatos* aliquos seducunt, seductos infatuant, ut spectris hujusmodi vel territi, vel ludificati, nec horum sentiunt Astum, vel propriam miseriam. Isti sunt impuri ab ore *Bestiæ*, & *Draconis* egredientes *Spiritus*, ut Reges terræ in *Armageddon*, adversus Agnum congregent, qui non soli obsident, sed catervatim ut Locustæ circumvolitant, & legionarim possessos ad quodvis atrum facinus & horrendum præcipitium extimulant. Quis putasset homines, aliàs *non ignobiles*, & ingenuè educatos, potuisse eò adigi, ut unico Pulveris *Pyrii* disploſu, non *Regi* tantum & *Senatui*, quibus (vel Ethnicis) debebatur obsequium, sed *patriæ*, luce potiori infandum meditarentur excidium? persuaserunt tamen hoc *Jesuitici*, & *Papales Spiritus*, idque tanto cum effectu, ut Sontes ad tremendum Dei Tribunal pertrahendi, de *merito* & *martyrio* cogitarunt. O Spiritus *Satanicos*, & *Populivoros*! O *Romanos* [illegible]! Hæsitat Domina, aut Ancilla de *Transubstantiatione*,

ſtantiatione, *Purgatorio*, aut *Sanctorum* aut *Imaginum* cultu? vel è Purgatorio ſtatim educitur *Spiritus* Patris, Matris, aut propinqui, aut famelicum introducitur jumentum in genua procumbens, aut è Cœlis deſcendat *Virgo beatiſſima*, ut ita *miraculo* ſuadeatur catholicus fidei Articulus. Quiſquamne eſt cum conſpiceret *Catholicum* Sacerdotem, Virginem poſtelſam conſecratis manibus contrectantem, & intus latentem *Cacodæmonem*. Surſùm & deorſùm exagitantem, cogentem ad mugitum & colloquium, & demum pro imperio ejicientem, non acturum evaderet Romanus Catholicus? abeant jam Calviniſtæ cum ſuis *Bibliis Genevenſibus*, & tentent tale aliquid ſi audeant. At hoc vel fictum vel factum quoties ab hiſce myſtis accipimus? Si Catalogum contexerem impoſturarum hac ex parte, riderent multi, dolerent alii, inventos eſſe in tam aprieante Evangelii luce, vel tam effrontes, qui talia prædicârent, vel tam credulos, qui fidem adhiberent. Quid *Lipſii* & *Gretſeri*, de Cruce pigmenta & figmenta, *Gualterij* Narrationes *Chronologicæ*, Sedulii *Conformitates*, & *Franciſcanorum Alcaron*, *Roſwadi Patrum vitæ*, & (ut cætera non recenſeam) noſtrorum Martyrum *Tyburnenſium legendæ* ab *Aquipontano*, & aliis deauratæ, quàm ſuffarta ſunt hujuſmodi *logia*, *ſpicia & ſpicilegia*? quæ Evangelium *Turcis & Paganis* ſubſannandum exponunt. *Delrionis* diſquiſitionibus magicis hæc congeſta, attexerent non terminandos Tomos. Quot Roſarium unicum *Beatæ Virginis* à Dominicanis ante decennium *Sereniſſimæ Iſabellæ claræ Eugeniæ* dicatum, quot Epiſtolæ *Ieſuitarum Indicæ*, indies fere multiplicatæ, quot adhuc è prælo calens *Ignatii Loiolæ*, per *Urbanum octavum* ſolennis Canonizatio, effuderunt nobis Oracula & Miracula? ſi moræ eſſet pretium, vel mihi ſentinas iſtas exhaurire, vel vobis tales Spiritus *Panurgos* attendere, in medium poſſunt produci.

8 Nos quidem non aſſerimus *Dei brachium* ſic hodie eſſe abbreviatum, ut miracula nulla concedat, præſertim iis, qui Evangelium ſyncerè conantur inter *Ethnicos* (quos dignabitur ipſius miſericordia efficaci vocatione) propagare: Sed negamus iſta inter *Chriſtianos* de Articulis nonnullis diſſentientes admittenda eſſe ut veritatis *gnoriſmata*, aut *Criteria*. Quid enim? Annon habemus in Scripturis firmiorem propheticum *Sermonem*, cui recte facerent qui *Petri* gloriantur *Cathedra*, ſi diligentius attenderent, quia ipſius *Petri Apoſtoli* eſt hæc de hoc, inter nos & illos litigio, clariſſima determinatio. Quid autem æquius eſt, quàm ut Deus audiatur in Scriptura ab iis, qui Deum agnoſcunt & profitentur loqui in Scriptura? Adverſus tales *Mirabilarios*, cautos non fecit *Dominus* (inquit *Auguſtinus*) cum *Antichriſtum* talibus niti ſignis & portentis iteratò prædixerit. Et miſera ſane eſt iſtius profeſſionis penuria, quæ haud aliter obtinere poteſt, quam per emendicata ab *Orco* ſuffragia. Fruſtra igitur *Cottonus Jeſuita* de rebus fidei *Diabolum* conſulit, & *Sacrificuli* nonnulli Cacodæmonem quendam *Verrinum* ſuas partes agentem catholicas, in quodam ſatis craſſo tractatu mundo obtrudunt, & edentulæ iſtæ *Bellarmini* & *Gretſeri* ſannæ, (ut ſpicula temerè emiſſa) in propria recidunt capita. Puduiſſe ſcilicet *Diabolum*, miraculum aliquod edere, in Reformatorum gratiam. Quis dubitat? tàm occupatus ſcilicet detinetur, in *Antichriſti* & *Monachorum* negotiis, ut nobis qui nil novi docemus, relinquat Salvatoris & Apoſtolorum jamdudum omnia noſtra obſignantia, miracula. Et re vera, ſi in gratiam noſtrorum, vel *Accipitrem* Nobilis alicujus, devotum perſequentem *pſittacum*, & divum *Thomam* Cantaurienſem invocan-

2 Pet. 1. 19.

De Euchariſt. l. 3. c. 8. De V. D. l. 1. c. 2.

tem perimeret, vel pauperis *Asinam* à mortuis excitaret, vel confracta *Mu-liercula ova*, aliquo artificio consolidaret; riderent potiùs *Evangelici*,
Eph. 5. 11. quàm amplecterentur inde controversum aliquem, & non in Scripturis fundatum, Papisticum Articulum. Nam jamdudum præmonuit *Apo-stolus*, cum hujusmodi suspectis tenebrarum operibus, non tutum esse commercium. Ergo, quid aliud nobis restat quàm (quòd secundò pro-
1 Jo. 4. 1. posui) ut juxta *præscriptum Apostoli* probemus quoscunque Spiritus, sive albi, sive atri, sive masculini, sive fœminei nobis appareant, an sint ex Deo. Hoc fit ex certo ductu, Si supercertemus pro illa *fide*] & non alia, quæ *semel*] & non sæpius, immutanda, tradita fuit *à Deo*] non ab homi-nibus excogitata, idque non Romæ tantum, vel aliis speciatim quibus-cunque Ecclesiis, sed publicè, sed indiscriminatim *Gentibus*, æquè ac *Ju-dæis*, omnibus & singulis *Sanctis*, admonitum Judæ, ver. 3. Si *Johannem* sequamur præcipientem, Qui *novit Deum audit nos*, qui *non est ex Deo, non audit nos*, 1 Epist. cap. 4. ver. 6. Audiendi igitur sunt tantum *Prophetæ*, *Christus*, *Apostoli* in Scripturis indubitatis loquentes, non *Spiritus* homi-num vertiginosi, raptantes in diversa & adversa, prout occasio, affectus, utilitas, viderint & agitaverint. Qui conantur ab hâc *Davidis* laterna & lucerna *Petri* vos abducere, Spiritus sunt tenebrarum, aut *ignes fatui*, qui *viatores* seducunt in paludes & certa præcipitia. Quare ut *Exorcistas* suos habet *Romana* Hierarchia, qui reliquiis, cruce, consecratis, & nescio qui-bus invocationibus & adjurationibus (ut tradit *Iesuita Thyreus*) spiritibus leges imponunt: Ita instruendi sunt à me hi mei Filii, ut (cum necesse sit) quocunque in posterum se recipiunt, & in *Lemures* hujusmodi vel *Lycan-thropos*, sive Furiosos & phreneticos, sive Factiosos & fatuos, sive Frau-dulentos et ferales, quocunque casu inciderint, artem teneant et ani-mum, non *Magorum*, *Incantantium* aut *Necromanticorum*, sed *Prophetarum* et *Apostolorum*, quâ virtute ab Alto omnes illas umbras, et phantasmata dispellant penitùs aut cogant in ordinem.

Creatio. 9 Neque interim ex *Agrippæ*, *Petri de Abano*, *Pictorij*, *Abbu-telis*, *Tritemij*, *Bachonis* aut *Salomonis* libris magicis deperditis, apud *Pinedam*; Quemadmodum nec ex *Immanuelis* de *Valle* de *Maura*, *Mengi*, *Don Francisci Torreblanci Villapandi*, vel cæte-rorum ejusdem *fuliginis*, Ensalmis, exorcismis, Mangoniis, auctiores erunt vestræ Bibliothecæ, quinimo nec huic negotio erit requisita *Stola Sacerdotalis* cum *manipulo*, *culter* magicus, cum *circulo*, Hostia *transubstantiata*, cum aqua benedicta, Sig-num *Crucis*, cum nescio quibus *characteribus*, in Virgineo *per-gameno* descriptis; Vice omnium hujusmodi *Fustium*, *Fuga-rum*, *flagellorum*, *Amuletorum*, *annulorum*, *Artis Notoriæ*, aut *Pau-linæ*, stupendorum nominum ipsum *Acherontæ* moventium;
Biblia. erit his pellibus exiguis inclusus cœlestis *contextus*; ad cujus e-missos radios Spiritus omnes isti nocturni aut diurni, Fauni aut Satyri perterriti, citiùs quàm ad *Galli cantum*, penitùs eva-nescunt. Nam si Furiosi irruerent & Lymphatici, quàm in promptu

promptu eſt illud *Abrahami*, Habemus *Moſen* & *Prophetas*. Et illud *Prophetæ*, ad *legem* & *teſtimonium*, quod ſi non dixerint juxta verbum hoc, non erit in iis matutina lux. Moroſos vero & factioſos quam exertim iſta repellunt, Omnia fiant, *decenter*, & *ordine*. Et nos talem *conſuetudinem* non habemus, neq; Eccleſiæ Dei. Adverſus autem diriores *Ieſuitiſmi* & *Arminianiſmi* ſpiritus, videte ne quis vos deprædetur per πθεσολογίαν, φιλοσοφίαν, & ἰδελοθρησκείαν, (ſicut in ſecundo ad *Colloſſenſes* inculcat Textus) Et columnæ firmiter permanebitis in Templo Dei, ad quas allidantur potius, & conterantur inſidiantium, quam ullatenus labefactent Capita. Hoc ut ampliori cum authoritate fidentiùs præſtetis, ſit *Amuleti* inſtar δακτύλιος hic *Annulus*, non precio, quia aureus, aut figura, quia rotundus, aut ſpecie quia decorus, ſed ſymbolo quo digitus oculis ingerat, vos deſponſatos jam arctiùs eſſe dilectiſſimæ *Theologiæ*, quam non debetis in poſterum cæteris quibuſcunque veſtris *amaſiis* minus habere, aut quia *Dos* non ſatisfacit, (prout nonnunquam fit) negligere aut repudiare Vt *Annulus* dignitatis, ſic *Pileum* libertatis ſemper erat indicium. Quare igitur hi Liberi mei, quos hactenus *ſupplices* conſpexiſtis, apertis capitibus aſtantes, in poſterum perpetuo non eſſent liberi? Tegantur ergo Capita veſtra, non *triplici diademate*, Papæ enim non ſunt multiplicandi, nam *unus* nimium turbarum in Eccleſia excitat, vel *Birreto* purpurato, nam non nôrunt noſtri *piliones* tales galeros *Cardinalitios* efformare, ſed ornamento *receptiori*, at *decoro*, minoris (ut agnoſco) ſplendoris, ſed virtutis non imparis, ſi adſint præſertim bene temperata quæ ſuſtentant *tempora*. Quærant fortaſſe Captioſi, cur *Medici* hic, & *Iuriſconſulti* à dextris & ſiniſtris rotunda ſua *Holoſerico antrorſum* erigunt pilea, mei vero *Theologi* tam complanatis, quadratis & laneis adeo ſine pompa dimittantur: Quos intelligere velim, aliam eſſe meorum, aliam illorum conditionem, illos nemo reprehendat, ſi elatiori aut alacriori *Patientes* ſuos & Clientes dignentur aſpectu, ſi circuant orbem terrarum, ubi *morbi* aut *lites* vocant, intrent *Principum* cubicula, quibus ὰπλᾶς hujuſmodi ἐφόδιος (ſervatore non perſtringente) conveniant; At *Theologum* ſuperciliоſum, Theologum Circulatorem, Theologum veſtibus magis quàm virtutibus conſpicuum, quis dicteriis non perſequitur? Moneat igitur vos (dilecti Filii) pilei forma dimiſſa, ut ſubmiſſe,

L. c. 16.
Iſai. 8. 20.
πάντα εὐχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. 1 Cor. 14. 40.
ἡμεῖς πατάπλοα σωμεθα ἀν ἔχωμεν, ἀλλὰ καὶ ἀκλινεῖς τῇ πίστει Ib c. 11. v. 16.

Annulus.

Pileum.

Mat. 11. 28.

missè, *quadrata*, ut constantèr, agatis. Moneat materia, *lanea*, greges vestros (à vobis jam *pileatis*) attentiùs esse respiciendos. Nec tamen ita dejectos velim, ut ex humi repente aut peripatetico incessu, vilescat dignitas. Æquum igitur esse duco, ut *equestri* sint *conditione*, ad quam an *ocreis* sint instructi, meum est prospicere. De *Calcaribus*, equis, frænis, Ephipiis & cæteris Bullatis phaleris, *Agasones* dispiciant. Iamque quid aliud restat nisi ut *osculo* charitatis debito, undiquaque instructos & ornatos, sic dimittam. Multa hìc congereret Valedictionis loco *paternus affectus*, sed duo (quæ suggerit Textus) possint esse instar omnium, *Adventus Domini nostri Iesu Christi, & nostræ Congregationis in ipsum*. Si periclitetur veritas, nutent domus *columnæ*, *hostes* insultent, *nos* jactemur; Adventus ille Domini ad votum restituet omnia, modo non superioribus *immorigeros*, non fratribus morosos, non *adulantes*, *tumultuantes*, *luxuriantes*, cœno hujus *mundi immersos*, sed fideliter, unanimiter, constanter in Ipsum congregatos, nos inveniat. Et ut inveniat non ipse tantùm verbis Apostoli, sed veneranda hæc Corona, spectatæ fidei & eruditionis illustres viri, *Rogamus vos*] jam non amplius ex inferiori subsellio, sed nobiscum *Fratres* & *Doctores* per παρουσίαν *Domini nostri Iesu Christi*] *summum* fidelium expectantium solatium, & per nostrorum ἐπισυναγωγὴν *in ipsum*] quam consors hic repræsentat corporum consessus, (& sicut mihi persuadeo, animorum in veritate consensus) ut non cito *moveamini*] spe præmii, aut *terreamini*] metu incommodi à *sensu vestro*] quem adhuc expressistis *Orthodoxo*, quicquid *Spiritus*, *Sermones*, *Scripta*, quæ hodiè passim turbant omnia, in contrarium *suggerunt*. *Theatrum* jam ingressi estis, Ecce *Antagonista oppositus*, *Missam*, *Iesuitas*, *totum Concilium Tridentinum unica litura inducit*

Ocreæ.

Osculum.

Indigitat Respondentis atrum vultum & Capillitium, Nomenq; D. De Burges.

--Hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Vos ita cum ipso agite, ut sentiat quanti sit *discriminis* unum *Burgensem* à tot Doctoribus *Academicis* dissentire.

Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, *sit omnis laus, honor, & gloria, in secula seculorum*, AMEN.

ORAT. XI.

ORATIO XI.

INAVGVRALIS IN PROMOTIONE DOCTORVM,

THOMÆ PRICHARD, &c.

OXONII in Comitiis habita Anno 1628.

De Impoſtorum Mendacijs.

2 THESS: 2. 1.

1 Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτόν.

2 Εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ νοὸς, μήτε θροεῖσθαι, μήτε διὰ πνεύματος, μήτε διὰ λόγου, μήτε δι' ἐπιστολῆς, ὡς δι' ἡμῶν, ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ Χριστοῦ.

1 *Rogamus autem vos, Fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum.*

2 *Vt non citò moveamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per Spiritum, neque per Sermonem, neque per Epiſtolam tanquam per nos Scriptam, quaſi inſtet Dies ille Chriſti.*

PRoceſſum, quem expetitis & expectatis (Egregii *Procuratores*, voſque *Academici* & *Advenæ*, Auditores undiquaquè ſpectatiſſimi) vix exhibet *horum* diſcrimen, ut Superiorum *temporum* fælicitas. *Medici* (ut videtis) multiplicantur per morbos, Juris Conſulti cum litibus; at miſerè interea marcescit noſtra *Theologia*, ſic ut ægrè invenerit *duos* aut *tres* hos myſtas, qui ejus ambirent patentia ſatis ſacraria. Stant autem illi hîc (ut obſervatis) ſicut *uvæ* nonnullæ, aut *Ariſtæ* poſt vindemiam, aut meſſem, ad amolien. dum à languente *matre* ſterilitatis opprobrium, pietate potiùs quàm numero

mero conſpicui, quo nomine ut mihi, ſic vobis debent eſſe acceptiores. Stant autem *ſupplicantium* in morem *nudis capitibus*, ut agnoſcant ſe tantùm adhuc eſſe *Inceptores*, non *Doctores*, quibus deeſt quod addet tot laboribus exoptatiſſimam coronidem. Hanc ut ipſe more Majorum, pro meo munere, & debitâ ſolennitate conferam. Reſumere non intempeſtivum exiſtimavi illud Apoſtoli, 2 Theſſ. 2. 1. *Rogamus autem vos, (Fratres,) &c.*

2 Non opus eſt ut plura, quàm quæ *introductioni* inſerviant, præmittam: potuit præcipere *Apoſtolus*, ut *Doctor* ſuis diſcipulis, *rogat* tamen, ut Fratres, nimium videatur rogâſſe; *obteſtatur* & *adjurat*, & ulteriùs per adventum Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, & ipſorum in eo unionem. Quid *adventu* iſto magis tremendum? quid *unione* illâ magis expetendum? Sed res erat (quam urgebat) ſummi momenti, & in talibus *frigidè* agere, eſt quodam modò *prævaricari*. Noverat inter eos fuiſſe *inſtabiles*, inſtat nè dimoverentur: ſenſerat aliorum μικροψυχίαν, adſtat nè terreantur. Quàm facilè optima, ab optimis, optimè conſtituta; degenerant & labaſcant, niſi nutantia, & inclinantia maturè rurſus firmentur? Dormiunt *Agricolæ*, ſecuri de bono ſemine? ſtatim injiciuntur *Zizania*. Diſparet Agnus? Emergit *Beſtia*, cum *Dracone*: ſubducitur *Paulus*? ſeducuntur *Theſſalonicenſes*. Quid faceret percuſſus *paſtor* in tam inexpectato diſcipulorum Schiſmate? indiceret inſidias? præſcriberet remedia? rogaret, hortaretur, per talia, quæ deberent illis eſſe chariſſima, ut ſibiipſis proſpicerent? Indicat, præſcribit, hortatur, nullum non movet lapidem, ut non permitterent ſe dimoveri, aut perterrefieri ab hujuſmodi *impoſturibus*: vel de *Die Domini*, de *Antichriſti adventu*, de efficacia *Satanæ*, de Seductione *injuſtitiæ*, de *Apoſtaſia* non Recipientium amorem veritatis, ſed ſibi-ipſis in iniquitate *Complacentium*, aliter crederent vel ſtatuerent, quàm ab ipſo; ſive per *Sermonem*, ſive per *Epiſtolam* certò & indubitatò accipiſſent. Fuerunt enim inter illos nonnulli, qui *Spiritus*, & *Enthuſiaſmos* jactarent; hos non attenderent, fuerunt, qui *ſuppoſititias* tanquam ab Apoſtolo *Scriptas* protruderent epiſtolas, hiſce *larvam* detrahere debent. Nec defuerunt demùm, qui veteratoriè *confingerent*, ſe hoc vel illud putidum, aut ridiculum *myſterium*, ab *Apoſtoli Sermonibus* hauſiſſe, adverſus hos etiam ipſorum obfirmat credulitas, ne talibus *nugivendulis* fidem adhiberent. Solent *præſtigiatores magi*, tria præcipuè in *deluſis* effacinare; *Oculos*, *Aures*, *Phantaſma*, *Phantaſmata*, hîc deluduntur ſpiritibus & enthuſiaſmis; *Oculi* Epiſtolis commodè forſan ſcriptis, & acuratè obſignatis, ſed *Pſeudoepigraphis*, interim & *ſpuriis*, quid reſtat igitur, niſi ut *aures*, portentoſis, implerent *fabulis*, & calumnioſis *Lodoriis*. Duobus ſuperioribus, adhibuimus antehac ex hoc loco *collyrium*, & *Amuletum*; Auribus igitur *hodiè* inſtillandum eſt illud *Servatoris Acroama*: Βλέπετε τί ἀκούσητε, videte *quid* audiatis & πῶς ἀκούσητε, *quomodo* audiatis, ne qui *oculis* & *phantaſia* ſatis ſunt purgatis, aurium *pruritu* & *tinnitu* in tranſverſum rapiantur; præſertim in hoc *poëtico* & *Rumigerulo* mendaciorum *ſeculo*, in quo, in virtutem penè tranſiit incredulitas, ut non vulgaris ſit *ſapientia*, aut non *omninò*, aut admodum *cunctantèr* & *circumſpectè* fidem adhibere.

Marc. 4. 24. Luc. 8. 18.

3 Atque hîc *linguis* Hominum & Angelorum eſſet opus, vel ſaltuatim tantùm efferre, quàm ſerpunt ut *gangræna*, iſti de quibus dicturus ſum λόγοι, ad ſimpliciorum ſubverſionem, & Chriſtianæ profeſſionis apud *Turcas*, & *Paganos* opprobrium. βαττολογίαν, ἢ πολυλογίαν, perſtringit Servator, &

Matth. 6.

ματαιολογίαν

ματολογίαν noster *Apostolus*. Μωρολογίαν, 1 Tim. 4. Quin, nec βεβηλολογίας, Tit. 1.
prætermittit, aut ἀνοσιολογίας, quibus minimè *malos* à Schismaticis seductos esse agnoscit, *Rom.* 16. 18. Cæterùm λόγους sive sermones hi, qui cum *Spiritibus* & *Pseudoepigraphis*, tricipitem hîc efficiunt fraudis *Cerberum*, latiùs expandunt laqueos, & omnium præcedentium succum & *Aconitum* in se continent. Ex ore *Draconis*, *Bestiæ*, & *Pseudoprophetæ*, tres Spiritus impuros prodire vidit *Iohannes* Apocalypsis 16. Spiritus *ranis* similes, Spiritus *Dæmoniorum*, miraculis Spiritus instructos, ut congregarent Reges terræ ad magni Diei prælium, & tandem in *Armageddon* penitùs prosternerentur. Ex ore prodeunt, ut *monstrosum* agnoscamus partum, quem expuit & evomuit potiùs, quàm enixa est, uno ore triplex parens, obstetricante totius *Gehennæ gynæceo*. Ranas referunt impudentiâ, loquacitate, lubricisque & ambiguis insultibus denigrantes illimes aquas, deformi Spermate, & irruentes in Regum Cryptas, ut lanienas extrahant. Qui autem vectes, aut seræ spirituales hos excludant Filios Belial? qui Spiritus revera sunt, sed *Dæmoniorum*, ut expressè habet textus, & Signa jactant & miracula, ut constet cujus sint Emissarii. Isti autem veri σοφισμοῖς & σοφίσμασι *tribus* ferè modis, sermones seductrices disseminant, *dictis* seu *rumoribus* calumniosis, *fictis* fabulis seu legendis, *pictis* tabulis, cum appositis ad captorum captum *interpretamentis*, quibus aut odium piis conflent, aut suis authoritatem, & divalem (si *Dijs* placet) venerationem suis penatibus concilient. De hisce ordine, cùm carptim nonnulla attigerim, levabitur vestra gratissima attentio, audiendi tædio.

4 Ac de sparsis *calumnijs*, quam ampla occurrit in vestibulo perorandi seges; siquidem si in peccati primævi *Nequitia* inquirimus, intrasse in mundum & propagatum haud aliter ipsius partum, quàm per *calumnias*, inveniemus. Unde Διάβολος κατήγορος τῶν ἀδελφῶν à Spiritu sancto pronunciatur, & *Satanas Okelkartzo*, hoc est, calumniæ propagator in N.T. apud *Syros* passim audit. Fluxit deinceps hoc *Cacoethes* per *Cainitas*, *Cananitas*, *Ismaëlitas*, *Esavitas*, & ejusdem fermenti alios, ad *scribas* tandem & *Pharisæos*, & consimiles tempore *Servatoris*, intumescentes *bufones*, & *coaxantes ranas*. Audiunt ipsum pro authoritate, & imperio concionantem, ultra humanam sortem, ingeruntur in oculos *miracula*, doctrinam è cœlo delapsam, vel præfractissimis confirmatam ostendit; Ita percrebuit de *dictis* & *factis* ipsius fama, & enituit in *conclamatis* virtus, ut Diaboli nonnunquam loco mori supplicarint, & veritatem asseruerint: Irrepit tamen calumnia, & *Sardonicho* quasi risu, inter lambendum figit genuinum: Nonne benè dicimus te *Samaritanum* esse & *Dæmonium* habere? Ita qui semel verecundiæ transilierunt limites, *gnaviter* in processu oportet esse impudentes. Quid inter feras, cruces, scuticas, equuleos, rogos, quæ in Cunis est passa sub Tyrannis Christiana Ecclesia; Nunquid Neglexit ὁ πλάνος τῆν οἰκουμένην ὅλην, *Oecumenicus* ille impostor & seductor, calumniarum plaustra tam in mortuos, quàm vivos deonerare? Nonnunquam suggerit *Christianos* in solennioribus ipsorum conventibus, *Infantes* (proh scelus) immolare, & fumantem eorum è venis sanguinem abominando sacrilegio absorbere. Aliàs insusurrat, eosdem *caput Asini* adorare, alibi in sacris nocturnis, extinctis subitò candelis promiscuo uti concubitu, sic Ethnici. Sed quid, num æquiores in *Orthodoxos* Hæretici? Stupenda sunt, quæ in Concilio *Tyrensi*, impingunt Arriani *Athanasio*, nempe ipsum Apoc. 12. 10. Joh. 8. 48.

hoſpitam ſuam, (conductum reverâ ab accuſantibus *proſtibulum*, quæ de facie prodidit *Athanaſium* non noviſſe) vi compreſſiſſe, amputaſſe manum cujuſdam *Arſenii*, & è medio illum ſuſtuliſſe, *Arſenio* tamen adducto, in *conſpectu concilij* utraque inſtructo manu, à viperis nihilominùs iſtis, & rubetis, non liberat Sanctum tam conſpicua innocentia, quin potiùs veneficij inuritur ſtigmate, ut fuſiùs narrant *hiſtorici*. At iſta ſunt remotiora, citeriòra attingamus; quid vobis vidétur de Sacerdotibus *Eleenſibus*, apud *Malmsburienſem* & *Capgravum* noſtrates? annon lepidum eſt *Monachorum* commentum, *Sacerdotes* iſtos *uxoratos*, qui infami Cleri celebatui, maſculè ſeſe oppoſuerant, in Diocæſi *Elienſi*, unà cum *uxoribus* & *liberis* in anguillas fuiſſe tranſmutatos, & inde *inſulam* nomen ab iſtis *anguillis* (*Ely*) fuiſſe ſortitam.

Theodo. Eccleſiaſt. Hiſt. l. 1. c. 30.

Balæus cent. 2. ad vitam Edgeri. 126.

In nova fert animus mutatas dicere formas.

Sed neceſſe eſt, ut Legendariis noſtris, hâc ex parte cedat *Naſo*; Apud quos ſimile quiddam habetur, de *Strodenſibus* inter *Cantianos*, qui ob *Auguſtinum* Saxonum *Apoſtolum* à pueris aliquibus petulantiùs habitum; (piſcinis fortaſſè *caudâ* tranſeuntem bonum Sanctum impetentibus) referunt ſeriò ab eo tempore *caudatos* in iſtis oris infantes accipere, quod quale fuerit *Monachorum Evangelium*, vetulæ credo & *obſtetrices*, ſatis jamdudum perceperunt.

5 Hujuſmodi ut *Sagaciores* accipiebant ſibilis, ita apud credulos nonnullos inveniebant *fidem*, & à parentibus ad poſteros, tanquam rata Religionis *myſteria* Superſtitioſâ quâdam traditione dimanârunt. In maximâ conſpicuâ *Satanæ ſolutione*, (quam ad *Bonifacij octavi* & *Ottomanicorum* ortum nudiuſtertius retulimus) emerſerunt (ut notum eſt) pii nonnulli, pauperes primò dicti à *Lugduno*, notiores poſteà ſub *Waldenſium* nomine, qui infanda ſunt à *Beſtia Apocalyptica*, & ipſius *Ranis* & *Locuſtis* perpeſſi; quid patrârunt? Abſtinuerunt ſcilicet devotæ Animæ, ex verbi divini ductu, ab *Idololatria* & *Hæreſibus*, & cæteris characteribus & inquinamentis purpuratæ meretricis; provocant oves ad paſtoris *vocem*, Filii ad Patris *Teſtamentum*; ſed quo ſucceſſu? Obruuntur calumniis, rapiuntur ad lanienas, ſedibus pulſi & fugati ut ἄθεοι, δυσμάχοι, infames *Hæretici*, Scelerum omnium & immunditierum *proxineta* & *pharmacopœi*, diris devoventur, proſcribuntur & damnantur. Cui fini? niſi ut *ſimpliciores* fulgetris ejuſmodi ſyderati, deterrerentur ab ipſorum conſortio, ne propiùs accedentes ſcripturæ fontes inſpicerent, & reſilirent ad repercuſſam Beſtiæ monſtroſitatem. Ejuſdem ſortis hæredes, quis neſcit *Bohemos* & *Huſſitas*, eiſdem calumniarum molibus tantùm non fuiſſe obrutos? Quin ex propriis *paludibus* vix enatavit quiſpiam liberalioris oris, aut ingenii, qui non ſub *Hæretici* ferè titulo, calumnioſè à ſuis furcillaretur: *Hæreticum* apud tales audit *Petrus Abailardus*: Cur? Cæteris ſcilicet in Philoſophicis erat aliquo modo *limatior*, in poëticis politior, in Theologicis liberior, quæ ad Hæreſis calumniam ſufficiunt. *Hæreticus* & *Magus* evadit noſter *Rogerus Baconus*: quo errore? *Mathematicus* erat, & in linguis, cæteris acutior & verſatior, quorum vellicat nonnunquam ſtupendam inſcitiam, quod ſatis erat ad *Hæreſin*. Catalogum ut prolixum non texam: *Hæreticus* & *excommunicatus* moriebatur noſter *Robertus Groſtedus Lincolnienſis* Epiſcopus, *Doctorum* iſtius ſeculi, facilè *princeps* & *præceptor*: quê *articulum fidei* impugnavit? Faſtui nimirum *papali*, & tyrannidi erat infenſior, quod non dubitavit Beſtiæ

in

in os ingerere, eoque nomine *Hæreticis* erat accenſendus. Sed quid ego cicatricibus obductis refrico ulcera: *Reformationem* in noſtri Horizontis confinio intueamur. *Lutherum* dixerunt à Diabolo fuiſſe ſuffocatum, atque à ſuis, quos à putreſcente & moriente cadavere abegiſſet fœtor, in foſſam fuiſſe injectum & relictum. Dum *Hæreticus* ille Chriſti *Athleta* (quando iſta à *Monachis* propagabantur) in *vivis* erat, & valebat, & ſcriptis poſteà dentatis protrivit calumniam. *Calvinum* (cujus fidem & famam ex *operibus* & *cooperarijs* haud difficile fuit æſtimare) ut infidum & infamem, apud Incautiores redderent, conductitium quendam excitârunt *Vernam*, *Hieronymum Bolſecum*: qui quicquid ſuggerere potuit irritata *Satanæ virulentiâ* chartis illevit, & in ipſius ignominiam evomuit. Et ſanè non ultimum hoc videtur *Satanæ* ſtratagema, quos non poteſt vi apertâ, virulentiâ obruere, & per venalia hujuſmodi mancipia, fulgorem quem non poteſt extinguere, fumis ſaltem obſcurare. Cataphractus hâc impudentiæ *panopliâ*, prodiit contra *Lutherum*, *Cocleum*; *Sleidanum*, *Surium*; *Reginam Elizabetham*, *Sanderus* & *Parſonius*; *Regem Jacobum*, *Gretſerus*, *Leſſius*, *Becanus*, *Coſteteau*, *Coqueus*, *Schioppius* & *Pacenius*; & ut exitus properanti pateat, nullus ferè præ cæteris adverſus *Pontificios* caput extulit, quem portentoſo aliquo mendacio, non conati fuerint apud *proſelytas* ſuos dehoneſtare. *Theodorus Beza* μυσογαμος erat, & ſepultus *Romano* Catholicus ſeptennio priuſquam moriebatur, aut (quod ſciamus, & ipſe profitetur ægrotabat. *Franciſcus Junius* pede ungulato deformis; *Iſaaci Cauſaboni pater*, eodem loco, quo fidus Dei miniſter, placidè in Domino obdormivit, erit ut *Nequam*, patibulo affixus. Proditio *pulveraria* à *Puritanis* excogitata, & *tentata* inter quos *primipilus* conſtituitur inſons *D: Gualterus Ramleius*, inſignis Eques Auratus. qui tunc temporis in *Turre Londinenſi* Captivus erat incluſus: Quo caſu, tot ad *ſacra* convenientes *papiſtica*, obruit & contrivit nuper *Cœnaculi cujuſdam* apud *Londinenſes* caſus? Locus erat *ſelectus*, in receſſu olim religioni (quam venerantur) dicatus, è ſuis tantùm fuit *drama* totum inſtitutum. Adfuit conſecratus *Sacerdos*, orat, benedicit, concionatur, nec ſuſpectus erat locus nec opportunitas, crepunt interea trabes & tabulata, corruit moles, pereunt miſerandæ animulæ! quorum fraude aut ſtratagemate? aſſerunt, *Puritanorum*.

---Sic pugnat, ſic eſt metuendus Ulyſſes.

Ita *Ethnicum* illud didicerunt veteratoriè accommodare: *Calumniare fortiter*, & aliquid hærebit, ut noctuas ſuas à luce divertant, & deterreant, ne Scripturas legant, conciones audiant, rationes penſitent, & perſpectis Beſtiæ maculis & tinctura, *Babyloni* citò mittant nuncium.

6 Hactenus comparuit *Pſeudologia*, quæ ex calumniis excitat odium, ut *Apoſtolicam* propagantes *doctrinam*, per *ſermones* hujuſmodi & rumores, præjudicio prius gravarentur, quàm debita juris formâ audirentur. Succedunt *Narrationes Fabuloſæ*, quibus authoritatem figmentis ſuis conciliant, ut proſelytas tanquam paſtos *lotho Homerico* in erroribus abſque ſcrupulis foverent. Camerinam hanc nimis movere, eſſet nauſeam creare. Nullus ſufficit *Hercules* ad purgandum hoc *Augei* ſtabulum. *Ethnici* mira narrant de *Apolloneo Tyaneo*, quem cum ſalvatore componit *Hierocles nugator*, egregiè dedolatus, eo nomine ab *Euſebio*, ſed *Emblemata* videantur *Ethnicorum* diliria præ-*Legendariorum* noſtrorum *Blitea* ſtultitia & amentia. Quiſquamnè eſt, qui in *Iacobi de Voragine*, *Legenda Aurea*; *Moſci*, *prato Spirituali*; *Petri de Natalibus*, & (ut putrediora iſta non attingam,) quæ in

Recentioribus, *Lipſii*, *Virginis Halenſis & Aſpericollis* elogiis, *Ieſuitarum* continuatis *Chronologiis*, *& Epiſtolis Indicis*, in *officiis*, *Breviariis & Roſariis*, ut *poſtillarum* omittantur ineptiæ, vel ludentem poſuerit operam; qui non ſtatim concluſerit *Alcoranum Turcicum* Saniora, maximâ ex parte, quàm hujuſmodi *Sermones* ſeductrices proponere? In iſtis verò omnibus duo occurrunt *Satanæ ludibria*, quæ non ridiculam minùs, quàm deteſtandam *Chriſtianorum* reddant profeſſionem. Obtruditur Sanctorum *colluvies*, quales prædicantur *Georgij*, *Chriſtophori*, *Brandones* & congeneres, quos Sol in nullo terræ angulo unquam conſpexit. Obtruduntur aliorum, *Franciſci*, *Dunſtani*, *Patricii*, *Ludgeri* & *combibonum* miracula, ad *jocos* & *focos* ſic conficta, ut præter prodigioſas, phreneticas & inconditas ineptias, ne guttulam quidem adferunt vel ſermonis, vel ſenſus ſincerioris. *Æſopi* Fabulæ, *Luciani* Dialogi, de *Amedeo Rolando*, & reliqua ex iſto ſterquilinio decantata nænia, vel inventionem aliquam ſpirant *probatiorem*, vel ſermonis interſpergunt acceptiora nonnunquam feſama, ſic ut ad *Ethnicam* ſaltem *characteriſticam* ſive poëticam (ut *Homerica* & *Ovidiana*) aliquo modo referantur. Sed ex Legendis *Monachorum* inſipidis, nil exprimes ferè vel elicies, præter lutum, Sputum ſordes aut fuligines. Hîc excitat *Germanus* mortuæ cujuſdam *Aſinæ* cadaver, illic conſolidat *Swithunus*, ova cuidam *ancillæ* caſu confracta. Alibi *Patritij* virtute balat ovis furtiva in *furis* ſtomacho, eâdemque operâ furtum prodit, & depeculatorem. Receptiora ſunt iſta de *Dionyſio* per tria milliaria *gallicana* ἀκέφαλον, amputatum proprium bajulans caput. De *Sacello* Beatæ Virginis tranſlato per *Angelos* à *Paleſtina* ad *Lauretum*, vel ex fide *Cardinalis Baronij* habemus Hiſtoriam. Atqui (Bone *Ieſu*) quam *Mater Tua Beatiſſima*, juxta talium circulatorum ſermones, indigniſſimis fertur ſe implicari negotiis, & non neceſſariò *Terræ Filijs* ancillari. Porrigit mammam ſugendam *Fulberto* Monacho *dentato*, accommodat manum *Thomæ Becketo*, ad lacerum ipſius cilicium conſuendum, Obſtetricatur Exuli cuidam *Hiſpanicæ* nomine *Alexandræ*, parturienti in ſterquilinio, *Chriſtumque* poſtea adducit ut infantem *baptizaret*, matrem *purificaret*, *miſſamque* coram eâdem celebraret, in qua (verba ſunt mei *Authoris*) *ipſum illum qui ſe porrigit*, *ſuſcipit*. Plura pudet congerere. Adhuc res erat cum hominibus; Sequitur aliorum commercium cum *Dæmonibus*. Diaboli forcipibus ita naſum intercipit aduncum Bonus noſter *Dunſtanus*, ut ad rugitum *ſervilem* & *ſupplicem* volens nolens erat adactus. Eundem in *culullo* ſive in *cantharo* quodam incarceravit Sanctus *Lupus*, ſic ut per integram noctem inibi manſerit & ejulaverit. Eundem coëgit *Dominicus* tamdiu *candelam* ipſius accenſam manu tenere, donec digitos *flamma* corripuiſſet; credat qui conſpexerat.

In Roſario Dominicanorum.

7 At iſta (dicet aliquis) ſuperiorum fuerunt tenebrarum *offucia*, quas diſpellit hodiè omnium Artium & Scientiarum ad miraculum communicata *palingeneſia*; nec obtrudunt hujuſmodi *doctis* docti, ne cunctis debeant ludibrium. Ita reverâ libratè rem perpendenti dictaret *ratio*. At praxin ſi penetremus, conſtabit liquidò, *Ieſuitas*, *Sacrificulos*, & reliquas ab eâdem corte obſcenas & rapaces volucres, non tantùm *eiſdem* adhuc niti *impoſturis*, ſed occultiùs, concinniùs, dexteriùs, & ubi uſus tulerit, vehementiùs & frequentiùs urgere. Nam ut ſeponam iſtas memoratas de Virgine *Hallenſi*, & *Aſpricolli Lipſianas* nugas; *Gretſeri*, & aliorum de Cruce *admirandas auditiones*. Quid *Aquipontani* liber de Martyribus noſtris *Anglicanis*? Annon quot proditores *ſacrificulos* juſtitia inter nos è medio

dio ſuſtulit; Tot confinguntur propè mendacia? Notiſſimis tantùm inſto. Ob infandum per pulverem pyrium conatum, Laqueo vitam finivit Pater *Garnettus*, & nonae ſtatim ex conſperſis fortuitò ſanguinis *guttulis*, prodiit in ſpicis *bipartita*, & *coruſcans* ſancti facies? Quid *Gualterius Ieſuita* in illa ad *Regem Galliæ* chronologia? Nunquid Seculum ullum ferè prætermittit ſine aliquo, vel ad papiſmum *ſtabiliendum*, vel ad noſtram Innocentiam lancinandam prodigio? In eundem finem recuſit & anxit *vitas Patrum Herbertus Roſweidus Jeſuita*; Hunc ſcopum habuit propoſitũ Protonotarius *Thomas Meſſinghamus* Sacerdos *Hibernus*, & ſeminarii *Hibernorum* Pariſiis Moderator, qui *Florilegium* Sanctorũ Hiberniæ, ante quadriennium nobis delineavit. Et quid aliud ſibi volunt tot de vita & morte *Franciſci Xaverii*, Cardinalis *Boromei*, & *Bellarmini* ſpecioſæ legendæ, nunquid non eò collimant, ut cum B. *Ignatio* (ſi Beſtiæ placeat) tandem *Calendarium* adaugeant. Ipſe autem *Ignatius* nuper ab *Urbano*, qui jam ſedet *Octavo* in Album Sanctorum relatus, quàm *maſculè* ſe geſſit, & *miraculoſe*, non tantùm in multis aliis, ſed ex propenſa benevolentia, & mero motu, fœminis gratificandis, ex Bullæ ipſius Papalis *Antographo*, 28. *Cardinalium* ſubſcriptionibus obſignato, libet in tranſitu annexere. *Elizabetha* quædam rebellis *monialis* ordinis *Sanctæ Claræ* per reliquias B. *Ignatii*, ad coxendicem ipſius applicatis, ex lapſu quodam comminutam, actutùm erat integritati reſtituta, quam *Medici* & *Chirurgi* per 40. dies, (quæ *noctes* forſan includebant) ſuis unguentis, fomentis & emplaſtris non potuerunt ſanare. Sed *vetula* hæc fuit pænè *Septuagenaria*, ut videtur, tranſeamus ad juniores. *Magdalenæ* cujuſdam *Tavaleræ* (de ætate aut conditione certò non conſtat) morbus ſe nimiùm prodit, in gravibus *obſtructionibus*, & tumore ventris hydropica. Quid hîc *Medici*? Occurrunt *duo*, remedia miſcent, & applicant, ne hilum quidem proficiunt? Sed nunquid peribit ob aliquorum imperitiam, miſera noſtra *Magdalena*? Nequaquam ſi noluerit eſſe obſtinata. In gratiam juniorum *Medicorum* adducam ex verbis Bullæ ipſum *remedium*? Voto Deo facto, ac Imagine dicti Beati *Ignatii* ventri admota, ſtatim meliùs ſe habuit, depulſuſque eſt morbus *obſtructionis* & *hydropis*; Ita prorſus, ut intra *tres* vel *quatuor dies* detumuerit *venter*, & exindè illa ſe benè habuerit. En vobis (Medici) communicatum morbi admodum periculoſiſſimi remedium, abſque *Soſtro*. Nihil eſt quod ſubſequatur de *Iohannæ Claræ* & *Noquetræ* cœcitate, per eundem B. *Ignatium* in eâdem Bullâ Sanata. *Sæcilides Muſæ paulò majora canamus*. De *Iohanna Aragona*, & *Pignatella* terræ novæ *duciſſa*, avetis ſcire, quid illi erat præſtitum? indicabit in *Bulla* Sanctus Pater. Laborabat *tumore*, & *duritie* alterius mammæ, eoquè redacta erat, ut neque *pedes*, neque *brachia* movere poſſit, quin ſibi *viſcera* transfigi quodammodo viderentur. Quid hîc *Hippocratem* vel *Galenum* vel *Chymicos* nobis nominatis? Ad opem ejuſdem *Beati* confugiens, & illius imaginem religioſè de manè venerata, & illi ſe commendans, veſperi ejuſdem diei ſana ſine *tumore*, ſine *duritie*, & ſine ullo doloris *ſenſu* reperta eſt. Verba ſunt ipſius *Bullæ*; nil addo; Sanè ſi frequentes inter nos tales pullularent *Ignatii*, & ſubſtituerent vice *abſentium* tales *imagines*, fieri non poſſet, quin quamplurimi inter nos *Medici* citò *langueſcerent* & *ægrotarent*.

8 Iſti autem ſunt *Sermones* ſeductrices, quos non tantùm diſſeminant in colloquiis, ſed in *Scriptis* & *Legendis* tranſmittunt poſteris, ut meditatò inſaniant. Supereſt aliud *panurgema*, quo *rudiores* & prorſus *illiteratos*,

implicant; hoc verò peragitur *pictis tabulis*, ut *imagines* eſſe Laicorum Libros reapſe demum comprobent. Ad conſpectum meum vix pauca in hoc genere pervenerunt *ludibria*, interim ex *pugillo* licet æſtimare; quid in tam diſtenta lateat *chymerarum* ſarcina? Minutioribus non inſiſtam, vix prodit Liber *voluminoſus*, qui non aſcendentes ad cælum pingat *Monachos* in *frontiſpicio*, & intruſos in tartarum, vel è *navi* Eccleſiæ ejectos non exhibeat *reformatos*. *Picturas* ſive ad *ædificiorum* ornatum, ſive ad exprimenda *Ethica* quædam *emblematicè*, aut *hieroglyphicè*, ſive ad uſum *hiſtoricum* in memoriæ *ſubſidium* libenter amplectimur, & uſurpamus. Sed quis ferat ſub hoc prætextu pingi *Deum Patrem*, triplici Diademate *Papali*, *Filium* ut infantem, uberi *gemmatæ matris*, puſionis inſtar adhuc inhærentem? *Spiritum* ut *Columbam* expanſis alis pendentem? quæ *falſum* imprimant & *indignum* de tremendo *Trinitatis Myſterio* conceptum? Sed iſta tranſeant Superiori *Jubileo Anno* 1600. *Romæ* prodiit cum *privilegio*, & Summi *Pontificis*, & Superiorum authoritate, (*Beati Ignatii* iterum ad partes à me vocandi) *effigies*, *Guilielmo Duci Bavariæ* per *Franciſcum* villaneum *Italum* quendam dicata. In medio collocatur genibus *flexis*, & *extenſis* manibus, & *elevatis* oculis, ambientibus hinc indè *radiis* Bullatus, jam tandem noſter *Sanctus*; circumcirca conſpiciuntur (29.) ad formam *ovalem* capſulæ, in quibus totidem obſervantur ab *illo*, vel circa *illum* edita miracula. In hac videas *Calvaſtrum* noſtrum Sanctum, ſedentem & pileatum, *cacodæmonem* horridiorem, qui ad tentandum acceſſerat, *baculo* per contemptum abigentem; alibi minutiores quamplurimos, diaboliſcos per *Epiſtolam* cædem virtute fugantem? Hic ſe incurvat *Lotrix* ipſius, & ad contactum *pannorum*, aridum habet brachium reſtitutum; ſupra *ſuſpenſum* quendam præ deſperatione, ad confitendum è mortuis ſuſcitat; Cætera quid referam ejuſdem ſtigmatis? Ad baſin conſpiciatis, Dominum noſtrum *Ieſum Chriſtum*, Beatum *Ignatium*, & ipſius *ſocios*, à Deo patre commendatos, in tutelam ſuam admittentem. Sic ut *Deus Pater* in *Ieſuitarum* gratiam, fiat tandem *Mediator* ad *Filium*. Ad *verticem* hæc duo emblemata, *Ignem veni mittere in terram*, & *quid volo, niſi ut accendatur?* Quid dicam? O *Cælum!* O *Terra!* ἀχμὴν jam conſecuta eſt *Impudentia*, & *Audacia*. Sin iſta *ridicula* potiùs, quàm *noxia* æſtimârit quiſpiam, quid de *malitioſis iſtis*, & calumnioſis figmentis, & *pigmentis* judicabimus, in quibus *Catholici* pellibus ferinis induti, canibus apud nos objecti, aut cibo porcario cooperti, *Porcis* devorandi depinguntur. Scænam concludent, & auleum complicabunt Roſarii Beatæ Virginis nonnulla *miracula*; Extant *Icones* quædam à *Dominicanis* haud ita pridem *Sereniſſimæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ*, ære inciſæ, & *nuncupatæ*; In quibus parum eſt, *abſciſſum* caput poſt 150. dies in puteo profundo demerſum, virtute *Roſarii*, Dominicano evocanti *parere*, & *confiteri*, niſi *Servatorem* ipſum delineent, *Meretricem* publicam Romæ procantem, invitantem ipſum ad *cœnam*, lupanar *intrantem*, cætera pudet referre. Receptum eſt hodiè vulgò apud *Venetos*, quando tingunt *purpuram*, confingendum eſſe aliquod *mendacium*, cui vulgo credatur, aliter non ſuccedere *negotium*. Quidquid *Tinctores* iſti nugantur, certiùs hoc videtur *purpurata meretricis* offucias, mendaciis præcipuè, *dictis*, *fictis*, *pictis*, colorari. Et quid quæſo, non aggrederentur Tales *Ranæ*? quibus *Draco* infundit *feritatem*, *Beſtia* impudentiam, *Pſeudopropheta* verſutiam.

9 Ab hisce ut circumspectè caveant (juxta *monitum Apostoli*) hi mei Dilecti *Filij*, collyrium aliquod à me est ipsorum oculis *adaptandum*, qui quò *pauciores* sunt, eò faciliùs instruantur, & dimittantur. Cùm B. *Johannes* post visiones sigillorum, Fidelium *obsignationem*, & quatuor Tubarum *clangorem*, ad tria væ *perpendenda* in Tribus Tubis ultimis erat invitatus; Abi (inquit *Angelus*) & accipe *libellum* istum *apertum*, qui est in manu *Angeli* stantis super *mare*, & super *terram*; quem accepit statim, & devoravit, & prodijt, deinceps ad *templum* mensurandum, & alios eventus denunciandos, Apoc. 10. 11. & sequentibus. βιβλαρίδιον hujusmodi, & vos inprimis accipietis (Dilecti *Filij*) qui majoribus nostris vel prorsus erat *clausus*, vel admodum obscurè *impressus*, sed nobis sic aperitur, ut qui currit, *legat*, & omnia quæ ad salutem sunt *necessaria*, si authorem seriò invocet & advertat animum, sine periculosâ aliquâ *hæsitatione* percipiet; quòd *Pseudoepigrapha*, & *Spiritus impuri*, *fictæ*, & *pictæ* fabulæ, aut tabulæ, ad hujus apertionem, tanquam Dagon coram Arca collisis, concidant membris. Cùm igitur vice πεποιημένων μύθων (ut loquitur B. *Paulus*) vobis sit βεβαιότερον ὁ προφητικὸς λόγος (ut B. *Petrus* suggerit; Attendite illi tanquam *Lucernæ*, splendenti in *obscuro loco*, usque dum dies *illucescat*, & *Lucifer* exoriatur in cordibus vestris. Tria sunt (ut nostis) corporis nostri *organa*, quibus omnia nostra præcipua obimus munera. *Caput*, *manus*, & *pedes*. Caput dirigit, manus operatur, pedes præter cætera à loco in locum ad operandum vel quiescendum transferunt. *Capite* & *cerebro* non distituuntur plurimi, sed *manibus* deficiunt, aut *pedibus*, *cheiragrici* aut *podagrici*, loquuntur tantùm, nil agunt, non in viis Domini currunt, aut ambulant. Alii nimium valent manibus, sed ad rapiendum tantùm & tenendum, non ad largiendum, & ubi oportet distribuendum. Nec rarò accidit, ut qui ingenii aut manuum polleant promptitudine, & dexteritate, pedibus (nescio quomodo) laborant, & desides sedent, neq; invisunt *ovilia*. Hisce omnibus prospectum voluit *Mater Academia*; Ideoque tribus hisce membris, tria præcipuè designavit *insigniora* ornamenta, non tam quæ *muniant*, sed *moneant*. Capiti *pileum*, manui *Annulum*, pedibus *Ocreas*. *Pileum* quadratum esse voluit, & *Laneum*, quadratum ad *formam* templi atrij Sanctuarij, & omnium lapidum in Templi fabrica, ad for-

Creatio.

2 Pet 1. 19.

formam novæ *Jeruſalem*, in occurſum *ſponſi* venientis, ad inculcandam *ſacratam*, & in ſacris muneribus obeundis perſeverantem *conſtantiam*. *Laneum* voluit eſſe, ad *humilitatem* ingerendam, & ſolicitam de *Lanigeris* curam, ut *ros Cœleſtis*, & ſimul, & alternis *vicibus vellera* noſtra humectet, & aream. Vbi enim in ſummitate *tuberculus*, & quaſi *Zenith* ſemper reſpiciens, non obſcurè dirigit, quo cogitationes incluſi capitis, tanquam ad certam *cynoſuram* ſunt faſtigiandæ. *Annulus* additur *aureus*, & *rotundus*, ubi *aurum puritatem* cordi (ut loquuntur) comfortivam; *Rotunditas*, expeditam volubilitatem in negotiis peragendis, quæ in *circulo* recurrunt ingerit. Et quid aliud denotant *Ocreæ*, niſi ut hiſce inſtructus, inter *lutum*, *cautes*, & *ſentes* hujus mundi, confidentiùs & tutiùs iter faciat. Caput igitur operiat *Pileum*, ornet manum *Annulus*, pedes muniant *Ocreæ*. Nil reſtat ulteriùs, niſi ut *oſculo* ſinceri adfectûs vos inſtructos dimittam. *Videte & Cavete* ab *Antichriſti fumo*; Remonſtrantium *fuco*; Schiſmaticorum *Felle*; & Dominus pacis in Filio, per Spiritum Sanctum, *ſecundet*, & fœcundet veſtros omnes *pios conatus*, quorum ſpecimen aliquod expectat *præſens Scæna*, ut paratiores in poſterum ſitis, ad arma decretoria.

Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, *ſit omnis laus, honor, & gloria, in ſecula ſeculorum*, AMEN.

ORAT. XII.

ORATIO XII.

INAVGVRALIS IN PROMOTIONE DOCTORVM, &c.

OXONII in Comitiis habita Anno 1629.

De Hypocriſi.

LUC. 12. 56.

Hypocritæ faciem terræ & cœli noſtis explorare: hoc autem præſtitutum tempus qui fit ut non exploretis?

PRocedo pro more, (Acceptiſſimi *Procuratores*) ſed vix ea qua antehac *alacritate*, quia hujus imperati proceſſus non adſunt mihi *Comites*. Querela fuit olim *Eliæ*, ſe *ſolum* fuiſſe derelictum. Et ego hic *ſolus* prodeo, unico tantum (ut videtis) accinctus *filio*. Sed ſolus *Plato* ſit inſtar omnium; exprobet ſi quiſpiam hujus Anni *ſterilitatem*, repono illam *Leænæ* Apologiam, quæ uno partu unicum tantum extrudit, ſed *Leonem*: *Iſaac*, *Samuel*, *Sampſon*, & *Baptiſta*, ſterilitatis fuerunt inexpectata progenies. Virtus *diſſipata* langueſcit, *contracta* fortiùs ſeſe exerit, & Hæres *ex aſſe* is plerumque ſtatuitur, qui ſolus ſupereſt è multis filiis. Ita ſolemus, cum id quod cupimus non aſſequimur, illud quod evenit, æqui bonique conſulere. *B. Paulus* alicubi moleſtè tulit, *Demam* illum deſeruiſſe; *Creſcentem*, ſeceſſiſſe in *Galatiam*; *Titum*, in *Dalmatiam*; & *Lucam* ſolum apud eum manſiſſe. Atqui ex *Luca* illo manente, habemus *Evangelium*, ex diſperſis illis, vix aliud præter nuda *nomina*: Quò acceptior tu hodiè debes eſſe mihi, & hiſce omnibus (*Dilecte Fili*) qui non abſque ſudore & ſumptibus, hìc te ſiſtis, nè (ut in *Medicina* & *Iuridicis*, quod explodunt juniores Philoſophi) permitteretur *Vacuum*. Non expectabitis autem vos (ut ſpero, *Patres* & *Fratres*, voſque qui undequaquè hic confluxiſtis *Advena*, ſpectatiſſimi & gratiſſimi) ut in

1 Reg. 19.

1 Tim. 4. 10.

 hujus

hujus unius *manumissione*, tantum operæ ipse insumerem, quantum fieri solet in instruendo *exercitu*. Interim cum dandum sit aliquid loco, plus Auditoribus, nec mutandum est aliquid temerè, quod anteà in hoc negotio fieri solebat, thema erit hac vice, illud Servatoris, Luc. 12. ver. 56. *Hypocritæ, faciem terræ, & cæli, nostis explorare*; hoc autem *præstitutum tempus*, quî fit ut non exploretis? de cujus primo *Vocabulo* cum nonnulla præmisero, descendam ad expectatam Creationem, & liberabitur vestrum audiendi tædium.

2 Turbam *hîc* (ut constat) alloquitur *Salvator*; turbam *sic* alloquitur, ut nullus unquam fecisset, linguis hominum aut Angelorum. Cum corripitur fastus *Pharisaicus*, aut urgetur *Saduceorum Atheismus*, vel impudentèr *opponunt*, vel indignantèr *silent*, & murmurant *Hypocritæ* ex isto fermento. At populus plerumquè admonitus de *Supinitate* sua, & stupore; sub *simplicitatis* aut ἀπωδευσίας (ut hoc in loco) se subducit *pallio*: Nos in *Scholis* nunquam enutriti, nescimus quid de *adventu Messiæ* sentiamus: Dicis tu *illum* venisse, & *Te illum* esse; Negant *Doctores* nostri, & te ut *impostorem* rejiciunt: Nostrum autem non est, de talibus judicare, aut quid *præstitutum*, aut *præstitum* sit explorare. Quibus occurrit *Servator*, & ad captum ipsorum, ita illiberalem hanc larvam detrahit, ut faterentur se *convictos*, & puderet subterfugii. *Hypocritæ* (inquit) in aliis (& fortassè etiam *incautioribus*) ostentatis *peritiam*, faciem *cæli* & *terræ* ex ortu *Nubis* aut *ventorum* flatu, nostis explorare; At ista futura sunt, & ancipiti tantum nituntur conjecturâ; & de *præsentibus*, de incurrentibus in *oculos*, & quavis luce clarioribus, simulabitis insciti am? Tempus *serendi*, *metèndi*, *vindemiandi*, ad unguem semper tenetis; & ad tempus à Deo *præstitutum*, in æternam salutem vestram, oculos clauditis, & animos non advertitis? Undeista *ludibria*, nisi ex Hypocrisis officina? Videtis igitur (*Patres* & *Fratres*) quicunque alii adferantur *prætextus*, quòd in pluribus *cæcutimus*, quòd negligimus, quòd aliorsùm nos patimur *rapi*, aut *sponte* declinamus à veritatis semita, non tàm *imbecillitati* plerumquè aut *ignorantiæ*, quàm *Hypocrisi* & *dolo malo* est attribuendum. Nolumus illud intelligere, quod *scimus*, & volumus nonnunquam plura intelligere, quàm *scire convenit*, & revera *nescimus*. Volumus esse pauperes sine *defectu*, humiles sine *despectu*, Docti sine *studio*, currentes sine *stadio*, magni sine *merito*, videri quod *non* sumus, & *esse* quod non debemus. Cùm igitur Hypocrisis sit *Dæmon* ille meridianus, qui μετασχηματίζεται, transfigurat se in lucis *Angelum*, dum opera molitur *Tenebrarum*, qui semper ambulat in *Circuitu*, à caula ad *aulam*, ab Aula ad *Academias*, à foro in *Templum*, & indè ubi non, cum exaltantur *vilitates filiorum hominum*? Quanti momenti erit hanc *Vulpeculam* è fovea extrahere? vel *Lupum*, sub ovina pelle acriùs insectari? ut si fortè *agnum* aut *ovitulas* aliquas teneriores, oscitantes corripuerit; cogatur apprehensâ barbâ, & benè dedolato capite, prædam dimittere.

Δαιμόνιον μεσημβρινόν, Psal. 91. 6. 2 Cor. 11. 14. זלזלות Ps. 12. 8.

3 Hanc autem dum aggredior, videor *Hydram* alteram conspicere è *lernæis* emergentem paludibus, ex cujus *uno* amputato capite, *centum* repullulant. Interim ut *cancellis* aliquibus compingatur inæquens discursus, Tricipitem sufficiet hoc tempore protraxisse in lucem Hypocrises *Cerberum*, *Logicum*, *Politicum* & *Theologicum*. Ad Logicam referenda quis non videt, omnia illa *Sophismata*, *Paralogismos*, *Captiunculas*, *argutias*, *gryphas*, quibus malè feriati *præstigiatores* non desinunt (insidiosiùs hodiè quàm antehac) negotiari, in *Animarum* nundinationem. *Skiamachias*, *Logomachias*,

gomachias, Homonymias, & neſcio quas in propria Cerebello fabricatas Retes, affingit & impingit nobis, Rhetorculus Camphuſius. At quis Herculeſ par inveniatur, ad purpuratæ meretricis Lupanaria, & ſtabula perpurganda? Ὑποκρισιομυρμηκιὰ, Hypocriſis iſta, in cauſis perverrendis, (de qua profanus iſte Comœdus in Avibus) quàm familiaris eſt his agyrtis, & perſonatis in Religionis negotio? Anabaptiſtæ, ſi in aliquibus inſaniant; Schiſmatici, ſi murmurent, & tumultuentur; Ubiquitarii, ſi intemperantius (pro more ſuo) debaccentur; inſuſurrant ſtatim Papicolæ credulis ſuis Proſelytis, hos omnes Symmiſtas eſſe Proteſtantium, & gregales; committi perpetuo inter ſe, ut Cadmeos fratres; nil fixi aut ſinceri retinuiſſe, ab eo tempore quo Romæ miſerunt nuntium; & tandem ipſum Diabolum pro Deo admiſiſſe. Hinc Philacteria ſtatim expandit, in Bracteatis Eccleſiæ phaleris periculoſiòr Βασανομυρμηκία, ſive oſtentatrix hypocriſis, & ante oculos obſtupentium, quaſi in Dramate quodam, repræſentantur, calamiſtrati iſtius proſtibuli ementiti tituli, & privilegia; ingeritur rituum pompa, Diſciplinæ rigor, multitudo adorantium, præſulum omnipotentia, miraculorum dubitas, oraculorum veritas, opponentium infælices exitus, & quid non quod ex ſtultis inſanos reddat? Hic autem, ſi quid in aliquibus forſàn effatis hæreat, ſcrupuli; natat in primoribus labris Ἐπιεικεστατία, & ſubleſta Jeſuitarum Amphibologia, quâ quidvis ex quovis efficiant, ſua ſimeta ſive obducant, & averſa aliorum placita, in ſuas partes expeditè torqueant. Hoc artificio, Miſſa antiquorum Liturgica tranſiit in iniquitatis Miſterium, Sacrificium Laudis, in Sacrificium Fraudis degeneravit; Meritum evaſit mercenarium; & panis in Cæna conſecratus, per Metamorphoſin quandam θεομυρμηκιὰν, in abominandum excrevit Idolum. Promiſſæ memor brevitatis, ut Gideonis milites ad aquas, lamborantum & tranſeo. Quarto in loco, Spermologia, quam falſò impegerunt Athenienſes ſinceriſſimo Apoſtolo, apud Hypocritas noſtros recentiores ἀποστολοδιδάσκαλον obtinet. Quænam enim Logica, Phyſica, Metaphyſica, aut alia quibuſvis in artibus commenta, vel commentaria, prodiêre nuper è Jeſuitarum laboratoriis, in quibus πλυμμία, Meriti, liberi Arbitrii, & nocentiſſimæ iſtiuſmodi Cicutæ, non ſperguntur ſemina? Cum ſic inſtitutis & imbutis, ſi manus tandem conferas, ut ſtridentes Cicadæ in detonſo gramine, aut ſciuri in contiguis arboribus, à quæſtione ad quæſtionem, ridicula quadam Heterogenia deſiliunt, nè lege τοῦ ἀνω preſſi, larvis ſtatim exuantur, vel ad methodum ſe confemant Veronianam, cujus (nudius tertius) accipiſtis Ἀπόλυσιν, quâ unius diei immò horæ) Theologus, Reformatis noſtris omnibus Doctoribus, vel ex Bibliis Genevenſibus, imponet ſilentium. O propudia! O circulos! Ad tam vilia, puerilia, putida, putrida, proſtituere potuiſſet liberalia ingenia, portium & abdominis ſtudium? Expectare poteſtis aliquid atrocius? Vincam expectationem veſtram. In magica quadam narratione, libro ſat craſſo, introducitur ex Erebo Diabolus quidam, nomine Verrinus, qui Hoſtiæ conſecratæ adactus exorciſmo, ex Abyſſi Topico, Veroniſmum ſtatuminat, tam profundè cum ſuis agant Catholicis Ignatiani Hypocritæ.

Rat. 9.

Ariſtoph.

Ariſt. Eth. 1. 4.

Bell. in notis Eccleſia.

Judg. 7. 5.

Act. 17. 18.

4 Conſpexiſtis quaſi per tranſennam (Patres & Fratres) Ὑποκρισιομυρμηκίαν, Βασανομυρμηκίαν, Amphibologias, Spermologias, Heterogeniam, & Methodos tàm Verrinam Diaboli, quàm Veronianam Jeſuitæ, quas emittit hodie in omnes mundi plagas Hypocriſis Logica. Succedit Politica, in qua liceat mihi contractior eſſe, & negligentior, ut re vera à vitæ meæ inſtituto, & genio

penitùs aliena. Ista interim observetur vel pannis Antiquitatis *lacera*, vel minio lascivientis hujus seculi tersiùs cerussata. De antiqua ista, & jam per summam Dei misserecordiam, *antiquata* aliquantulùm *Hypocrisi* confertim agam. Ablegantur *Imperatores* & *Reges* terræ, ab bellum *Asiaticum* sub prætextu (nescio cujus) *devotionis* & *meriti*, ut Pontifex interim cum suis *Ranis*, & *Locustis* impuniùs ipsorum distrahat territoria, armantur eadem fraude *Crucigeri*, in miseros *Waldenses*, sive de *Lugduno pauperes*, ut non mutiret vel ingemisceret quispiam, in *sacerrimam* Bestiæ *tyrannidem*. Absconditur linguâ ignotâ, (& ut plurimum sub *Monachorum manda*) vorticordiæ *Scripturæ* lumen, nè ad mysticas ipsorum technas aperirent *Seducti* aures vel oculos, vel posteris tandem transferuntur per *mercenarios Pastores*, & jurata Antichristo *mancipia*, qui non aliò ducam *gregem* quàm quò *Abaddon* ipsorum præciperit. Istis, verò si non sapiunt *pascua* quævis *proposita*, sic ut salubriora videantur expetere; coercentur *Inquisitoribus*, terrentur *minis*, fatigantur *opprobriis*, onerantur *mendaciis*, sydentantur *Anathematis*, & *suppliciis* tandem tolluntur è medio; dum proprii *sensus* interim, lactantur *Rosariis*, oblectantur *picturis*, firmantur *miraculis*, confirmantur *oraculis* & *legendis*. Eò *Hypocritæ* in sua *generatione* obtenturi filiis *lucis* esse promptiores, & prudentiores. Sed nunquid in *Evangelii* meridie recentiori *Hypocrisis* exoletam hanc, & toties explosam exercere desinit histrioniam? Nihil profectò minus, sed pergit, & (ut *Iehu* olim,) fertur impetuosiùs, licet cum isto exclament, vide *zelum* nostrum pro Domino. Testis est Respublica *Venetæ* in nupero isto de consecratis cum *Papa* conflictu, ubi quicquid decretum, aut conclusum erat, ringente Curia Romana, interdicente & frendente Pontifice in Status libertatem; asscribitur *protonotaria* quâdam *impostura*, papali *indulgentiæ*, nè aliquid ipsius omnipotentiæ detractum videretur. Testis *Belgia* ex fumante adhuc per redivivum *Pelagianissmum* incendio, quo juxta *Bertii* progressum, facilis esset *saltus* ab *Apostasia* Sanctorum ad confessionem & professionem *Papisticam*. Testis Sanguine adhuc volutans deploranda *Germania*, ubi odio *Calviniani* nominis armati in fratres *Lutherani*, illam tandem expectent *Cyclopis* gratitudinem, ut in destinata *Reformatorum* omnium [illegible], ipsi postremò devorentur. Quò spectasse antehac *Campanellæ*, de Armato *Sacerdotio*, & *Adami Contzen* Jesuitæ in recentioribus suis *Politicis* Theorias, sagaciores augurabantur. Sed me recipio ad *Theologica*.

2 Reg. 10.

5 Nihil unquam fuit vel tam nefariè *excogitatum*, vel turpiter *promotum*, aut facinorosè tandem *transactum*, quod non fucum aliquem conquisivit, è *Religionis* pixide. Unde *Hypocrisis* quæ insinuavit se *Theologicis* latius sua diffundit folia, & tanquam arbor quædam grandiscapia, adumbrat omnia arbusta sub se fruticantia. Frater in *ore*, & pugio in *manu*; Sacrificium in *Specie*, & proditio in *affectu*; lachrymæ in *oculis*, & laniena in *Corde*, *Ioabi*, *Absalonis*, & *Ismaëlis*, sacerrima sunt *emblemata*. Ita salutat *Sicarius* & obtruncat; sacrificabit *Nequam*, ut Patrem prodat; plorabit, *Tyrannus* dum fratres destinat ad internecionem, ut Crocodilus dum prædam devorat. De *Scytala*, Serpente notat *Isodorus*, tot illum adferre *dolores*, quot habet *Colores*. Nullus Poetarum *Proteus*, nullus *vertumnus*, variegati *hypocritæ* nocendi artes expresserit, simulabit cum *Herode*, Infantis cultum, quem meditatur tollere è medio. Orabit, jejunabit, eleemosynas distribuet cum *Pharisæo*; sed tantùm ut ab hominibus

nibus conſpiciatur & laudetur. Magiſter dicet, & applaudet, cum capiti inſidiatur, & quod rectum eſt diſſimulabit, ut quod iniquiſſimum eſt, conſequatur. Oſculatur, ut prodat, convertit, ut pervertat, orat, ut devoret, minuta exagitat, dum graviora negligit, parentat bobus, dum pergit occidere, externa mundat, ut interiora talia eſſe credantur, ſic ut regnum Cœlorum præcludat aliis, quod nec ipſe conatur, nec curat intrare. Atque haud ſcio an aliquos, Servator *Sacrilegos*, acriùs ſit inſectatus, quàm *Scribas* & *Phariſæos*, & reliquos ejuſdem tinturæ celebriores *hypocritas*. Mihi ſi eſſent centum linguæ, oraque centum, ferrea vox, & latera, hujus unius monſtri, ſtrophas, technas, inſidias, præſtigias, fucos, fraudes, incantamenta, impoſſibile eſſet detegere, & efferre. Pro præſenti inſtituto ſufficiat notâſſe Hypocriſin *Ductorum & Doctorum*. Iſti nolunt intelligere *ne faciant*, illi plerumque ſatis intelligunt, ſed admodum perverſè *ſatisfaciunt*. Iſta eſt *Turba* hypocriſis, quam perſtringit hic *Salvator*, illa *Turbarum*, quam exagitat aliquoties alibi. Mirum profectò eſt quanta latet fraus ſub Simplicitatis pallio. *Peroni* (mihi credite) non deeſt ad imponendum *peritia*. Calcabit *Diogenes Platonu* faſtum, ſed majori faſtu. *Agnum* hic habemus *Tartaricum*, ſana veſtitur, ut ovis, ſed per caulículam *terræ* affigitur, ut planta, ſic ut ad *caulas Domini* pedem non moveat. Mones de ſupernis? Oculos non attollit. Urgeas ut credat? Simulabit ſe non intelligere. Suggeris ut ſeipſum exploret? Excuſabit ſe ignorare tam ſublimia, pluris facit aſinum quàm fratrem in Sabbatho. *Feſtucam* hujus ſtatim notabit, ſed *trabem* propriam nunquam videbit. Quid cum verſipellibus hujuſmodi facies? Si modulare, non ſaltabunt; Si plores non congemiſcent, eouſque intelligent, & concludent, de *cœli & terræ* facie, quatenus reſpicit τὸ ἄλογον, & ſuis inſerviat commodis. De ſublimioribus ſi ſermonem protrahas, dormientes cum *Eutycho* decidunt è feneſtra, ut tollantur examines, & ægrè ab aliquo *Paulo* reſtituantur. Sic eluduntur plerumque *Doctores*, non tàm ſtupida, quàm *ſtupenda* Ductorum *hypocriſi*. Act. 20.

6 Sed nunquid apud hos etiam *Docentes* ſint ſatis ſyncera omnia? optandum profectò erat, verum ut hypocriſin hic notat *Salvator* in Turba, quia nolebat, quod potuiſſet, percipere; ita *Phariſaicis* alibi non parcit *Doctoribus*, qui titulos ambiebant & Stolas, & πρωτοκαθεδρίας, & primos accubitus, ut honorificentiùs in foro ſaluterentur; ſed cùm deſcendendum erat ad *grande* opus *Miniſterij*; cum inſtandum *tempeſtivè*, *intempeſtivè*; cum damna, opprobria, infamia, & nonnunquam (ut res tulerit) *ultimum* diſcrimen ſubeundum in prima acie, langueſcunt plerumque *Rabbini* noſtri, & ut Filii *Ephraim* armis ſatis inſtructi, *hypocriticè* pedem referunt in die prælii. Ne idem morbus *ſonticus*, & jam ferè *Epidemicus* inficiat, vel afficiat hunc meum *Vnicum*, muniendus & monendus eſt à me priuſquam il- *Creatio.* Mar. 12. 38.

lum dimittam, ne incidat fortaſſe in laqueos, à quibus, alios oportet illum expedire. Accipies igitur primò hunc librum (Dilecte Fili) βιβλιαειδιον illud αρταγυιτον in ſe continens, Apoc. 10. 2. Quem oportet ut cum *Apocalypta*, devores; priuſquam coram *Populis* & *Regibus* confidenter poſsis prophetare. Eſt genus quoddam *Hypocritarum*, quos *Biblioportas* vel *Codiciferos* haud incongruè nuncuparis, qui ſatis eſſe ducunt *paginas* has verſare & terere, præſertim publicè, ut obſerventur, & cæteros indè corripere; vix penſi habentes, ut domeſtica ipſorum ſuperbia, moroſitas, & in ſuperiores (præſertim) pervicatia, ad normam iſtam exigantur & corrigantur. E Diametro caſtrametantur *Bibliofugæ*, *Tertulliano*, *Lucifugæ*, quibus ſub Anathemate interdictum eſt, *Speculum* hoc inſpicere, ne ſuperſtitionis, ſtupiditatis, & proditionis infames conſpiciant maculas. In utroſque penetrantiùs valebit hic *verſatilis Scripturæ gladius*, ſi caput adſit, & manus quæ dextrè & prudenter vibrent & circumrotaverint. Hoc autem ut illuſtriori fiat *authoramento*, ornetur manus *Annulo*, caput *Pileo*. Quid expeditiùs ad motum *circulo*? Quid conſtantiùs *quadrato*? Quid *auro* purius? Quid *vellere ovino* ſimpliciùs? Hypocriſis tamen veteratoriè

Biblia.

Μάχαιρα δίστομος. Heb. 4. 12.

Annulus. Pileum.

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Et pro auro, aurichalcum; pro vellere, villos vulpium, aut luporum, ſubſtituit. Annulo etiam inſigniri potuit *Annas*; Pileo *Pilatus*; & quinam interim diriores in Salvatorem hoſtes? Vt igitur Cordatis hæc inſignia ſunt quaſi *Sacramenta*; ita Hypocritis evadunt *Sacrilegia*. Sed quid Ego te inſtructum, ulteriùs detineo? *Ocreæ* indicant accinctum ad iter. Reſtat tantum *Oſculum*, quod ita (pro more) imprimo, & in Domino te dimitto. Incidit jamdudum Dominus, in Hypocritarum larvas; *Vas electum*, in falſos fratres; cum eiſdem tibi eſt luctandum, ut cum *Beſtiis Epheſinis*, ſi cedas, peris; ſi vincas, æternum triumphabis. Non interim præponderet *Serpentina* prudentia, ut ſimplicitatis *Columbinæ* nulla habeatur ratio. Emergit (ut vides) Adverſarius, qui neſcio quæ obtrudit *Synodorum*, ad Controverſias definiendas, *decreta*, Laicorum proſcribit

Ocreæ.

Oſculum.

proſcribit in religione *explorationis* (ut videtur) *judicium.* Alienata repetit, non abſque *publicæ* pacis injuria. Fieri poteſt ut aliquid veneni lateat ſub hujuſmodi *Synodicis.* Efficiat hic primus tuus *Doctoralis* impetus, ut quæ ſub Eccleſiæ *Peplo* deliteſcere poteſt, & ſolet, protrahatur in lucem, periculoſiſsima *Hypocriſis.*

Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, *ſit omnis laus, honor, & gloria, in ſecula ſeculorum,* AMEN.

ORATIO. XIII.

INAVGVRALIS IN PROMOTIONE DOCTORVM. &c.

OXONII in Comitiis habita Anno 1630.

De Canonizatione Sanctorum.

MATTH. 4. 10.

Scriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſervies.

QUod de rerum omnium *fluxu* & *refluxu* pronuntiat *Eccleſiaſtes*, Generatio *præterit* & *advenit*, Sol *oritur* & *occidit*, ventus *gyrando* redit in circulos, mare *refunditur* ad fontium ſcaturigines: Sic ut ex reciprocante viciſſitudine, non ex fixo ſtatu *ſubſolarium* conſtet perpetuitas: Illud refert hic meus in hoc *dolio meo* verſando, (ſpectatiſſimi *Academici*, voſque gratiſſimi *Hoſpites* & Auditores) ſive Proceſſus ſive Receſſus. Redit quotannis cum hiſce *Comitiis* idem penſum, ut cæteris quaſi *Iubilæum* celebrantibus, mihi neceſſario ſit ſudandum, & aperiendum *jecur*, in hoc (cui affixus ſum) Caucaſo ut tot circumvolantes *Aquilæ* pro dimenſo exinde ſaturentur. Interim gratulandum eſt *Matri Academiæ* inter tot viciſſitudines, quæ ſemper ſui ſimilis, quanto magis ſeneſcit, tanto minus ſterileſcit, & quanto minus forſàn *diteſcit*, tanto magis abundat liberis. Mihi autem (ut videtis) incumbit *obſtetricandi* munus, moleſtum ſatis inter agendum; cùm non *infantes* hoc in loco *faſciis* ſunt involvendi, ſed *barbati* & *dentati* (ut ita loquor) *filiandi*. Jucundum tamen evadit ſucceſſu & fructu, cum ex his proculdubio non ſint defuturi, in quibus emeriti, aut fatiſcentes reviviſcant *Anteceſſores*. Ut cum *Moſe* ſtent in ruptura ad avertendum

Domini

Domini indignationem, cum *Iosua* haſtam elevent, ad hoſtes adorientes, cum *Gideone*, ſuccidant *Baalitas* lucos, & cum *Iehu* inciti altius ferantur, ad proterendam ſub equorum ungulis *cernuatam* Idololatriam. Et quoniam nudiuſ-tertius *Invocationem Sanctorum* ſic protraxi in apricum, ut in promptu eſſet unicuique Papicularum *Idolomaniam*, manibus quaſi palpare, & pedibus conculcare; Date veniam ſi eiſdem inſiſtens veſtigiis, ex eodem fundamento, *Canonizationem* hoc tempore diſcutiam. Verba *Servatoris* ſunt, ut noſtis. *Scriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Mat.4.10.* Verba *Apoſtatæ Vicarij* in hunc ſenſum ſunt, *Dominum* quidèm *Deum* tuum adorabis, ſed illi non *ſoli*, ſed *Sanctis* in *Canonem* mea authoritate *relatis*, unà cum ipſo, *dulia* ſaltèm, aut *hyperdulia* etiam religioſè ſervies. Profitetur quidam è Noſtratibus ſe à *Garneto* expirante hoc didiciſſe, *Beatæ Virginis* Invocationem, *Artem* eſſe *Vnicam*, ad Dei humen humano ſcelere gravitèr commotum, dicto citiùs tranquillandum? Sed *ars* hæc *unica* videtur nullius eſſe pretii, vel peritiæ, ſi non præceſſerit *Canonizatio*, ſive *Papalis Canonizatio*. Artem *Chryſopoeticam* tradunt *Chymici*, ſed *Theopoeticen*, nulli quod ſciam inter Chriſtianos, præter *Pontificios*; de cujus *Origine*, & *progreſſu* poſtquam paca *pro more* ſum præfatus, deſcendam pro *munere*, ad meam etiam qualemcunque Filiorum *Canonizationem*.

2 Et nè novo artificio debita deſit *Methodus*, à definitione (ni fallor) eſt auſpicandum. *Theopoia* igitur eſt *Ars mirabilis*, non *ſpeculativa*, ſed *practica*, qua *Creatura* in *Creatorem*, interventu *nonnullarum ſolennitatum* realiter *tranſubſtantietur*. Eſtque vel *Apotheoſis Antiquorum*, vel Recentiorum *Canonizatio*. *Apotheoſis* antiquorum rudimenta quædam, & lineamenta exhibet, quæ temporis *decurſus*, per intervallâ poſteâ expolivit. Iſta tribuatur rurſus (in gratiâm *Syſtematicorum*) in *Ethnicam* & *Iudaicam*. Ethnica *Heroas* cœlo intulit ob collata generi humano, Belli pacisvè *Beneficia*. Hinc Dii *magni*, *Medioxumi*, *Genii*, *Indigetes*, *Patricii*, *Penates*, *Lares*, *Tutelares*, ultra 30000 à *Varrone* recenſentur, *Patres* & *Patroni* conſcripti, quos non *Meritorum* opinio, ſed *Adulatio*, & *Superſtitio* in infinitum poſtea multiplicavit; ut optime *Tertullianus* in *Apologetico*. Hujus *Apotheoſis*, πολλῶν φαντασιῶν, delineat in *Pertinace*, *Xiphilinus*, explicat copioſiùs in *Severo*, *Herodianus*, quos illuſtrant, congeſtis hinc inde omnibus quæ huic ſolennitati lucem adferant, celeberrimum par *Criticorum Iſaacius Caſaubonus*, & *Claudius Salmaſius*. Non expectandum eſt ut ipſe in transcurſu attingam ſingula. Ex *Deaſtris* iſtis *Ethnicorum* quidam videantur *fortuitò*, quidam ex *Inſtituto*, tales evaſiſſe. *Prioris Claſſis* congeneres ſunt, *Glauco* iſti apud poetam, qui ex *herba* neſcio qua deguſtata. *Alexand. ab Alexandr. l. 6. c. 4.*

Terra vale dixit, corpuſque ſub æquore merſit,
Dii maris exceptum, ſocio dignantur honore. *Ovid Metamor. l. 13.*

Poſteriores Dietatem ſunt conſequuti, vel ex *merito* aliquo, vel ex *mero motu*, aut *favore*. *Romulum*, *Auguſtum*, & alios *meritum* aliquod commendavit, Cœlo affixit *juramentum* conſpicientis ad ſuperna tranſitum, fidem fecit *Aquila* è pyro incenſo evolans, aut *ſomnium*, aut *miraculum*, aut hujuſmodi. Alii ex *mero motu*, & *adulatione*, vel pro more ſaltèm eandem conſequuti ſunt *Divinitatem*, quam non irrident tantum *Chriſtiani*, ſed & *Ethnici* ipſi, *Seneca*, in *Claudio*, *Lucianus* in *Dialogis*, & paſſim alii inter ipſos naſutiores. Divis nihilominus ſic promotis, non ſatis erat in terris *templa* erigere, *Statuas* & *Imagines* figere, *aras* extruere, *Sacerdotes*

constituere, *victimas* immolare, *victum* & *vestitum* consecrare; nisi inter *Asterismos* etiam locum distinguerent quo conspectior ipsorum *gloria*, colentium oculos & *animos* ad ipsos attraheret. Hinc optionem inter sydera proponit *Partono* suo *Augusto*, Poeta nominatissimus.

Virg. Georg. l. 1.

Anne novum tardis sidus te mensibus addas,
Quâ locus Erigonem inter, Chelasque sequentes
Panditur? ipse tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, & Cœli justa plus parte relinquit.

Eadem superstitione non solùm,

Andromeda Cepheusque, & Cassiopeia parentes.

Sed *Antinous*, *Adriani* imperatoris *amasius* mutilat sub *Æquatore*. Tanti interfuit *Cœlites*, mortalibus inter *Ethnicos* placuisse.

3 Ethnicam istam *Theopoiam*, non vacat ulterius discutere, pari incessu ambulat *Iudaica*. Neque enim acriùs perstringit *Horatius*, *Priapeos* suos *Deificos*, aut *Iuvenalis*, *Ægyptios Cepecolas*, & *porrolatras*, quàm *Propheta* suos exagitant, ob non minus stupendam Idololatriam. Moræ vix esset pretium, illam à fonte arcessere. Illud Leæ בגד εὐπράγια sive *bona fortuna*, Gen. 30. 11. Istæ *Rachaëlis Teraphim* à Patre suffuratæ, Gen. 31. quid aliud nobis transmittunt, quam hominum inventa & commenta, Divinitate *Mechanica*, & forsàn posteà *Magica* donata? Conqueritur de talibus abominandis *Deus*, Isai. 65. *Mensam* illis fuisse erectam, & proposita *libamina* quasi in *bona fortuna* auspicium. Hilce successerunt *Vitulus* Aaronicus, *Gideonis* Ephod, & *Vacca Ieroboamica*, quæ multum debent Philippo *Monicao*, qui ab omni *Idololatriæ* fuligine, purgat ipsorum artifices. Extranei autem fuerunt *Iudæis* Philistheorum *Dagon*, *Baalzebub* Ecronensis, *Nisroch* & *Rimmon* Ninivitarum, *Nebo* Babyloniorum, nec fines ipsorum (quod sciam) unquam sunt ingressi. At *Ashteroth*, Sydoniorum, *Milchom*, Ammonitarum, & *Chemosh*, Moabitarum muratitii videntur *Dii*, à vicinis regionibus, quibus *Solomon* erexit *fana* in uxorum alienigenarum gratiam. Atque nescio qua sexus illius *lubricitate*, illud venit observatu, ut ab eo rempore, quo Serpens *Evam* matrem seduxit, præcipuè per ipsius *filias*, propagavit hanc artem *Theopoeticam Rachel* inficit per surreptitios *penates* Orthodoxam *Iacobi* familiam. *Midianitides* pelliciunt Israëlitas, ut *Baalpeor* sese adjungerent. De *Regina Cœli*, & *Tammuz*, quantos habemus apud *Ieremiam*, & *Ezechielem* fœminarum strepitus? & ejulatus? *Maacham* matrem amovit *Asa*, quæ fecerat *Mephletzeth* in luco, sed reddit *Vulgatus*, ne esset princeps in sacris *Priapi*. Et quare se recepit desperabundus *Saul* ad ventriloquam *Pythonissam*, nisi quia fœminas ad hujusmodi artes censuit magis idoneas? Mitto hìc quæ interseri possunt quamplurima. *Duo* præ ceteris non sunt transilienda. *Primum* est inter omnes istos Judeorum *Deos*, *Deasque* factitios & fictitios, *Moloch* (cui liberos per ignem transmittebant, à *Malac* regnare. Sicut *Papa* quidam, aut *Belzebub* princeps Dæmoniorum) Suprematum quendam obtinuisse. Alterum id egisse hos *Deificos*, ut è *Cœlo* etiam splendescerent, *terrestria* hæc ipsorum Numina. De *Succoth Benoth*, Babyloniorum, *Nergal*, Cutheorum, *Asbimah* virorum *Hamath*, *Nibhaz* & *Tartak* Hevæorum, *Adrammelech* & *Anammelech* Sepharvæorum, ut obscurior est *installatio*; ita & *instellatio*. Notiores sunt *Chemah*, *Chesil*, & *Mazzaroth* apud Hebræorum Uranomystas. Atqui de cultu exercitus Cœli, & sydere Dei *Rempham*, (quod *Chiun* est apud *Amosum*, & *Saturnum* vel *Herculem*

לגד שלחן
Isa. 65. 11.

Jer. 7. 18. & 44. 17. 25.
Ezech. 8. 14.
1 Reg. 15. 13.

Levit. 18.

2 Reg. 17. 30.

Job 38 32.
Cap 5. 26.

lem denotare contendunt quidam) quid manifeſtius, quàm illud *Stephani*, Act. 7. v. 42, & 43? ita Cœlum etiam implevit nova Deorum acceſſione *Theopoia Iudaica*, quorum χυδιολογίαν ἀσύστατον, καὶ φαντοβλαβῆ μυθολογίαν à Græcis mutatum, acerrimè perſtringit *Epiphanius* in *Phariſaiſmo* Hæreſi *Iudæorum* tertia.

4 Diutiùs quàm par eſt vos detinui, in *Veterum*, ſive *Ethnicorum*, ſive *Iudæorum* Apotheoſi: *Recentiorum Canonizatio* jam Scenam ingreditur, quæ utcunque perſonata incedat *Chriſtianæ Devotionis* peplo; non alia profectò eſt, quàm *Ethnica* & *Judaica Apotheoſeos* Editio, auctior fortaſſè aliquo modo, ſed neutiquam emaculatior, aut emendatior. De hac autem quàm ridicula & portentoſa cudunt *Malveſius*, *Galeſinius*, *Rocchus*, & cæteri ex eâdem Cavea *Sycophantæ* Papicolæ, quid attinet congerere? Succum expreſſit *Bellarminus* hiſce tribus theſibus. 1°. *Eccleſiam* recte *Sanctos Canonizare*. 2°. *Monopolium* hoc (utcunque cæteris Epiſcopis antiquitùs æquè patuit) ad *Papam* tamen hodie ſolummodò pertinere. 3^io. Credendum eſſe in hoc munere obeundo, ipſius *Sanctitatem* non errare. Licet *Aquinas*, *Cajetanus*, *Canus*, non libenter ex hac parte fidem prodigunt. Totum hujus *Canonizationis* Drama, poſuit ob oculos laborioſiſſimus *Hoſpinianus*, in quo *Interceſſio* amicorum, *examen* miraculorum, in modo agendi pompa, & ſolennitas, & *ſeptem* Canonizati honores imprimis ſunt conſpicui. Obtinet ſiquidem *primò* Canonizatus, non *Beati* tantum, (ut antea) ſed *Sancti* nomen, ob publicam in *Catalogum* inſcriptionem. *Secundò*, non *privatim* (ut antea) ſed *publicis* invocatur precibus. *Tertiò*, *Templo* & *Ara* in ipſius memoriam Deo dicantur. 4to. *Sacrificia* & *officia* in ejus honorem publicè Deo offerruntur. *Quintò*, Niſi accedat *Feſtum* in Calendario, *rubricatis* literis diſtinctum, male ſit *Typographo* qui librum impreſſerit. *Sextò*, Caveant *Pictores*, ut addito certò quodam *lumine*, in Signum *gloriæ* Imagines ipſius decorentur. *Poſtremò*, includantur *Reliquiæ* in pretioſis *thecis*, & publicè honorentur. Quid vobis videtur (*Auditores*) annon ſatis commodè iſta curantur omnia? Scrupulus nihilominus hìc injicitur, de Sanctis *Apoſtolis*, & *Patribus*, ipſi enim proculdubio non per *Canonizationem hanc Papalem*, ſed ſanctitate propria, in cœlum conſcenderunt, & locum in *Calendario* invenerunt. Fatetur hoc ingenuè *Bellarminus*, additque *Sanctos veteres*, cæpiſſe coli in Eccleſia univerſali, non tàm *lege* aliqua, quàm *conſuetudine*. Sed poſtquam obtruſerat conſuetudo *damnatum* quendam *latronem Hebrium*, loco Sanctorum colendos (ut ipſe habet ex *Sulpitio* in Sancti *Martini* vita, & in confeſſo ſit in jure *Canonico*, extra de *reliquiis* Capite *audivimus*:) erat tum profectò cur *Pontifex* pro imperio, exauctorata conſuetudine, certa lege ageret. Hinc igitur de facto prodiit ex Eremo *Apollio* Canonizatus per *Nicholaum* primum, ſi fides ſit *Troilo Malveſio*. Sed primatum hunc defert *Bellarminus* Sancto *Suiberto* collatum per *Leonem tertium*, cui ſucceſſit *Hugo Gratianopolitanus* per *Alexandrum tertium*, de *jure* verò poſt *legem* certam hac de re latam, *primatum* tenet *Sanctus Bernardus*, quem ſequuntur *Dominicus*, *Franciſcus*, & alii longa ſerie. Jamque cum *cæleſtes* hos honores, diſtribuat *terreſtris* agonotheta, qui fallere non vult, nec poteſt falli; annon expectanda reſtant omnia correctiora? Cur igitur *Georgij*, *Chriſtophori*, *Longini*, & ejuſdem deſerti *Fauni* & *Satyri* manent adhuc in *Canone*, & in Templis coluntur? quos unquam fuiſſe in rerum natura nullus adhuc oſtenderit. Et ut ad citeriora & domeſtica potiùs nos recipiamus, quid

Quodl. 9. Art. 6. Tract. de Indulg. l. 3. c. 3.

De Sanct. Beatitud. l. 1. c. 8.

meritus fuiſſet *Thomas Becket, Cantaurienſis* olim Archiepiſcopus, ut in *Sanctorum* referatur Catalogum? niſi quod ingratiſſima *proditione*, Regi ſuo optime de ſe merito, nefarie ſe oppoſuiſſet? Parum abfuit quin Pater *Garnetus, ſtramineâ* quadam impoſturâ ad eandem aſcendiſſet *beatitudinem*: quid feciſſet? in gratiam ſcilicet *Romani Molochi*, non tantum *filios & filias*, ſed *Regem* & *Patriam* conatus eſt tranſmittere per ignem *ſulphureum*. Immò hodiè utcunque detrahuntur larvæ, non deſiſtunt tamen in talibus *Canonizandis* ineptire. Calet adhuc è prælo *Ribadeneira Ieſuitæ flos Sanctorum*, ab *Hiſpanica* in *Latinam* linguam traductus, in quo non tantum Sancti *fixi*, & *extravagantes*, ſed novis *Legendis* honorantur per *Wierum Threnhaft* Sancti *novi*, Jeſuitæ *quinque*, *Loyola*, *Xaverius*, *Borgia*, *Gonzaga*, & *Koſtkah*; & tres alii, *Carolus Boromeus*, *Philippus Nereus*, & *Tereſa Hiſpanica*. Sic ut quadret hîc *Paſquilli* marmorei (neſcio à quo) dictata Supplicatio.

Optime Pontifex galerum roganti,
Paſquillo hunc tribuas roganti,
Si imbecille ſim ut rude marmor,
Cum plures quoque Epiſcopos creari,
Cum plures quoque Sanctos creari,
Ipſo me mage Saxeos videbis.

Act. 19 Annon & hic etiam redeat *Demetrij* iſtius ἀργυροκόπου apud *Epheſinos* ad Mechanicos ſuos oratio? *Viri, ſcitis ex hoc quæſtu noſtras eſſe copias?* Siquidem ut non ferunt Apoſtolum *Paulum*, Domini *Pythoniſſæ*, vel *Diabolum* ipſum ejicientem; unde *ſpes lucri* erat ipſis præſciſſa, Sic nec ceſſant hi *impoſtores* agere, toto mundo exprobrante, dum ita quæſtui conſulant. Abegiſti tu ſcuticis *Domine Ieſu*, à tua *Orationis domo* ementes & vendentes; at redeant hodiè ſub *Vicarii* (ut jactat) *tui diplomate*, tàm confertim, ut periculum ſit ne per *turbam* tam promiſcuam *aditus* tibi vix pateat.

Act. 16. 5 Arqui ſi ſubeſſet huic Abominationum maſſæ, *granum* unum, aut alterum, non dico *fidei* ſynceræ, ſed *pudoris* ingenui, ſi frons de rebus non periiſſet penitus, ſi hujus mundi *Deus* oculos ipſorum in tanto Evangelii ſplendore, *glaucomate* prorſus non obduxiſſet; in lapides & truncos corda non tranſubſtantiaſſet; occluderent tandem officinarum *feneſtras*, & puderet tàm deteſtandi artificii. Cùm *Thaſii* Deum *Ageſilaum* redderent, retulit homo naſutus non inſipidè, ſi *Deos faciendi* poteſtatem habeant *Thaſii*, prius *ſeipſos Deos* facerent, quàm alios deificarent. Quam autem indignum eſt *Sanctos* haud aliter eſſe colendos, quàm colentium & ſupplicantium beneficio? Siquidem per Deum immortalem, quid hoc eſt furoris *audentium*, aut ſtuporis, *permittentium* tam prodigioſum & infame commentum, ulteriùs in Eccleſia obtinere? Nonne ſatis eſt ex cruſta *Chriſtum* exhiberi? Nonne nimium in orbem habitabilem, & ſubterraneâ defunctorum receptacula, exercere imperium, niſi *cœlum* etiam petatur ſtultitia, utrillius manſiones diſponantur ad mortalis maleplacitum? Quòd *Deus ipſe* nunquam fecerit, nunquam factum eſt, quia fieri revera ex parte rei non poteſt; facere tu pro authoritate & tumore aggrederis, ut *Creatura* colatur non ad *Creatoris*, ſed ad tuum arbitrium? Et *hæc* potiùs quàm *illa*, & *hæc* ſolennius *hic*, quàm *alibi*, & *hoc* potiùs *tempore*, quàm alio? Miror qui hæc audet & agit *Pontifex*, cur *forma Eccleſiaſtica* non procedit? Cur *legatum* non mittit à *latere* ad *Triumphantem* Eccleſiam, ut hîc *Canonizatum* ab ipſo, rite *illic inſtalletur*, & hic *præſentatus* & *inſtitutus*,

ſtitutus, illic pro more *inducatur*. Cúmque ex Canonizatis nonnulli collati, immemores beneficii, ſupplicationibus, (*Catholicorum* præſertim contra *hæreticos*) ſe minus attentos præbeant, cur non ipſos (ut ita dicam) *degradet* Papa? Cur ſerventiores in Cauſa Catholica in ipſorum locum non ſubſtituit? Quinimo cur ſibi ipſi *viventi* & *videnti*, de *Feſto*, de *Templo*, de *invocatione* non proſpiciat? Præſertim cum *ſucceſſores* ipſius, aliàs occupati, iſta plerumque negligunt? O mentes hominum amentes! O inperveſtigabilem Dei patientiam!

6 Deſino poſtquam hoc unum addidero. Ingenioſi profecto *inventi* laudem, reportaſſet *Romæ*, ſi ex propria incude prodiiſſet hoc quæſtioſiſſimum τὸ ἐνδιάζειν (ut loquitur *Herodianus*) Deificandi artificium; ſed cum conſtet eſſe *Plagiarium*, & ex *fragmentis Ethnicorum* & *Iudæorum* poëticis, ridiculè conſarcinatum; vix ſufflaminandum magis videtur, ob barbaram cultus profanationem, quàm damnandum, ob *Authores*. *Ethnicorum Apotheoſi* prævium fuit antiquitùs, illuſtre aliquod de *Divinitate* conſecrandi teſtimonium, juramento confirmatum, ut patet in *Romulo*, *Draſilla*, & aliis. At inſtructior prodit in *Scænam* prologus, ad *Papalem* Canonizationem, Miraculis, Oraculis, Spectris, Spectaculis, Inquiſitionibus, Deliberationibus, & neſcio quot ejuſdem *Sarcinæ* mercimoniis. Adornatur Apotheoſis *Ethnica*, extructis *pyramidibus*, expoſitis *ſtatuis*, circumcurſantibus lectum *Medici*, aſſidentibus atratis amicis, & emiſſa demum ex rogo *Aquila*, in indicium animæ ad *Deos* volantis: imitatum hoc etiam ex parte, in *Pontificis* funere oſtendit *Blondus*. Ibi enim confectæ ex *Cera* imagini, aſtant *Servi* pullati, qui frequentèr ad abigendas muſcas, agitant *flabellum*, vel (ac ſi ægrotaret tantùm) ad *frigidum* ſufflandum, tot adjectis *tædis* ardentibus, cum aliarum Ceremoniarum *tædio*, ut operoſior videtur *Papalium*, quàm *Ethnicorum* aut *Iudæorum* ſuperſtitio. At Sanctos forſan *more poëtico*, *Papani* non Cœlo inferunt, & inter *Aſteriſmos* collocant. Ita ſentiunt plerique *myſteriis* illorum non ſatis initiati; at qui attentiùs circumſpicit, inveniet etiam illos in hac collatione, poëtis omnibus palmam, & lauream præripuiſſe. Atqui ut retroactæ inſcitiæ non referam deliria, Triennium vix elapſum eſt, à quo prodiit *Iulij Shilleri*, *Iuris* utriuſque *Doctoris*, *Auguſtæ Vindelicorum*, *Cœlum Stellatum Chriſtianum*, tantis *ſumptibus*, & tàm curioſis *picturis* æte inciſis variegatum; ut facile omnium oculos in ſe converteret. Ipſum *frontiſpicium* primo aſpectu repræſentat ſeptem *Planetas* ſic mutatos,

Triump. Rom. l. 2. c.

1627.

Eſt Saturnus Adam primus pater atque Colonus.
Iupiter eſt Moſes legum dator ille Iehovæ.
Belliger Iſrael populi Dux Ioſhua Mavors.
Eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Mediator Ieſus.
Præcurſor Chriſti Iohannes Lucifer almus.
Mercurius dubius cælo Venturus Elias.
Luna Dei genitrix eſt Virgo beata Maria.
In nova fert animus mutatas dicere formas.
Sydera--

Eadem *Uranologia* pro duodecim *ſignis*, duodecim *Apoſtoli* implent *Zodiacum*, ut hodie non ſit dicendum, *Sol* ingreſſus eſt heri *Leonis* ſignum, vel *Luna* verſatur circa *nonum*, aut alium *gradum Capricorni*. Sed *Chriſtus* ingreſſus eſt *Thomam Didymum*, & Beata *Virgo* commoratur apud *Simeonem Zelotem*. Ad eandem normam hodiernus dies non eſſet *Lunæ*, ſed *Beatæ*

Virginis, Craſtinus *Ioſua*, inſequens *Eliæ*, quartus *Moſis*, quintus *Iohannis Baptiſtæ*, ſextus *Adami*. Dicete jam Cœlorum myſtæ, an *Puritanica*, vel *Papiſtica*, vel potiùs *Papiſtica-Puritanica* habenda non ſit hæc *Aſtronomia*? Reliquorum *Aſteriſmorum* Metamorphoſes, ſive *Borealium*, ſive *Auſtralium* moleſtum eſſet partitè attingere. Sufficiat tyronibus *Michaëlem Archangelum* in gladii ipſius flammantis *Manubrio*, quo *Draconem* Cœlo expulit, *Polum Arcticum* exhibere. *Petri* Naviculam Oceani fluctibus nunquam obruendam, *Urſi majoris*, ſive *Caroli* plauſtrum penitus evertiſſe, *Silveſtrem Papam*, triplici Diademate redemitum, *Bootem* illum ſive *Arcturum*, cum *filijs ſuis*, ad *Bucolica* terreſtria deturbâſſe. Intereà *Conſtantinum*, & *Carolum Magnum*, qui tam amplum *Petro*, & ipſius ſucceſſoribus, contulerunt *Patrimonium*, & *Naviculam* ſic onerarunt *donarijs*, ut penè mergeretur, inter *ſtellulas* hic minutioſes non omninò ſcintillare. Mirum autem inſuper videtur *Schillerum* fabricæ architectum, cum *juris* utriuſque ſit *Doctor*, *Iuriſperitum* nullum huic Choro æthereo adſcripſiſſe; forſitan veritus eſt, ne *litibus* nimium aſſueti, lites etiam inter *Cœlicolas* ſererent. *Medici* interim ad polum *Antarcticum* agnoſcunt *Raphaëlem* Archangelum, *Divum* illorum *Tutelarem*, geſtantem *Catenam* & *baculum*, quibus vinciat *phreneticos*, & morbos omnes abigat.

7 Ægrè quidem abducuntur *oculi*, ab hoc novo Firmamenti *laqueari*, quod adeo nitidè nobis depinxit *Aſtronomica* hæc *Canonizatio*. Quis enim in *poſterum*, manum ferè non oſcularetur, in talis *Sphæra* cultum? ſed nunquid *Idololatra* ſtatim erunt omnes qui talibus conantur *trophæis* Sanctorum memoriam conſervare? abſit ut quiſpiam è noſtris tale aliquid ſtatueret; amplectimur potiùs illorum *Mnemologia*, loco non moventur in noſtris *Calendarijs*, quinimò *Feſtis*, *Templis*, & *Monumentis* recolimus ipſorum *felicitatem*, proponimus *vitas* ad imitationem, gratias agimus bonorum omnium *largitori* ob collata per illos beneficia. *Abrec* libenter concedimus beatis hujuſmodi, quos dignatus eſt *Rex Regum* adeo eminenter præ cæteris honorare. *Hoſanna* interim ſemper ſarto tecto conſervato, Domino noſtro *Ieſu Chriſto*, de quo habetur, & *adorent eum omnes Angeli Dei*, Hebr. 1. 6. Pudeat verò *Adverſarios* noſtros *Veteratores*, nos ut *Novatores* perſtringere, dum ipſi quotannis, non tantùm *procudunt* & *protrudunt* nova Sanctorum *officia*, novas *Miſſas*, novas *horas*, novos *horulos Marianos*, novos *flores*, novos *myrrhæ*, & thuris *faſciculos*, ſed novos etiam (ut accepiſtis) *cælos*, & *cœlites* accumulant indies, dum *Cœli novi*, & *Terra nova* à Sancto *Petro* deprædicata, in quibus habitat *juſtitia*, prorſus negliguntur.

2 Pet. 3. 13.

8 Hactenus vos nimium detinuit Canonizatio Sanctorum *Eccleſiaſtica*, ſuccedit *Scholaſtica* minori cum apparatu, ſed *aliquo* ſaltem, pro more expedienda. Hæc autem quo modo cum priori convenit, & quid retinet, aut amputat, in hiſce *filijs* meis *Canonizandis*, vel (ſi ita loqui liceat) *Doctorandis*, pauciſsimis ſic accipietis. Siquidem ut *examen* miraculorum hiſtrionicum illic præmittitur, ex conductitiis plerunque *juramentis*, præcedit & hìc *examen*, ſerium quidem & ſincerum, ſicuti nudiustertius audiviſtis. Ex indubitatis Scripturæ Oraculis, nec

jam

jam Sanctorum *titulus* vobis denegabitur (Dilecti *Filij*) quamdiu *Sacrum munus* vobis injunctum, Sanctè & conſtanter obeatis. Sed eo nomine non eſtis religioſè *invocandi*, verum *invocantes* potiùs, & *docentes* tempeſtivè & intempeſtivè in ſalutem veſtram & aliorum qui vos ſunt audituri. Vtque pleniùs intelligatis in quem *dapſilem*, & alienum à quæſtu, incidiſtis *Papam*, templa etiam & *aras*, ſano ſenſu *gratis* vobis decerno, ut in illis, & circa eas, opus Domini majori cum authoritate peragatis; & ſacrificia *laudis*, non *fraudis*, *vitulos* labiorum non *labia* vitulorum pro munere ſolennitèr offeratis. Vultiſnè aliquid glorioſiùs, quod Sanctis competat? *Feſta* forſitan cum *vigiliis* ulteriùs expetitis; Ego non illa tantum, ſed & dies ipſos *Dominicos* veſtris ſtudiis adjiciam, in quibus vindictam exerceatis in *gentes*, & alligetis *Reges* ipſorum (pro poteſtate vobis divinitùs conceſſa) in *compedibus*, & Nobiles eorum in *manicis ferreis*. Neque opus hic erit pictoris *penicillo*, aut *pixide*, ad *radios* capitibus veſtris adaptandos, cum Dominus ipſe ſit vobis *illuminatio*, & habitus hic *Coccineus* compenſabit *Calendarij*, rubricatas literas. Sed quid? num *Reliquiæ* etiam *veſtræ* poſt mortem aliquo erunt in pretio? Omnimodo, & *præſtantiori*, quàm ſi *oſſa* putrida, aut *digiti*, vel *crania* in thecis aureis aut *gemmeis* ad oſculandum reconderentur. Non enim Corporis fragmenta, ſed ingeniorum *monumenta*, ut alicubi contendit *Eraſmus*, venerandæ ſunt Sanctorum *reliquiæ*, quas *Bibliothecæ*, conſervent poſteris, in *perpetuam* rei memoriam. Iſta autem omnia ut omnibus ſint conſpectiora, & vobis obſignatiora, accipite hujus *Canonizationis Scholaſticæ* tranſmiſſa à majoribus, indulgentiſsimæ Matris Academiæ intemerata *inſignia*. Tria ſunt à vobis in hoc *Canonizato* Doctoris munere præcipuè munienda, & exercenda, *Caput*, *Manus* & *Pedes*. *Caput* dirigit, *Manus* operatur, *Pedes* ad opus transferunt. *Caput* per oculos, circumſpicit; per aures, audit. *Manus* afflictos erigit, eleemoſynas porrigit, & per ſcripta religioſè concinnata, poſteris concionatur. Quàm pulchri autem ſunt ſuper *montes pedes*, Evangelizantium, prædicantium pacem, annunciantium *bonum*, pronuntiantium *ſalutem*, dicentium *Zioni*, *Regnat Deus tuus?* Ergo capiti *pileum*, manibus *annulum*, pedibus *ocreas* deſtinavit Mater *Academia*, ut in ipſa, & per ipſam, promoti ad omne opus bonum prodeant accinctiſsimi. Sit igitur

Pſal. 149.

Iſa. 52. 7.

Pileum

Pileum hoc *quadratum*, Conſtantiæ, Annulus hic *rotundus* celeritatis, Ocreæ, *promptitudinis* teſſeræ, ad quodvis *periculum*, aut *emolumentum*, Evangelii cauſa adeundum. Et ne in locis quæ occurrunt tenebricoſis, deſit lux aut *Vaducus*, ſit *Phoſphorus*, hic, quem vobis aperio, & in manus trado, *laterna* pedibus veſtris, & *lumen* ſemitis. Irruunt *Idololatræ?* hinc conterantur. Subrepunt *Hæreſes?* hinc diſſipentur. tumultuantur *Schiſmatici?* hic quaſi in *ovo* conculcentur. *Tollite, legite, intelligite*, inſtructis eſtis, Canonizati eſtis, & (impreſſo demum hoc *oſculo Valedictorio*) *Doctores* eſtis. *Docete, Valete, Prævalete*, & *Spinolam* iſtum *hamatum*, qui ut *Rhamnus* inter *arbores* affectat imperium, veſtris *bipennibus* & *ligonibus* ſic contundite & ſubigite ut ſentiat cum damno ſuo, quid ſit Doctoribus ſic *Canonizatis* plicas, ſuas & *tricas* opponere.

Biblia.

Alluſio ad nomen Magiſtri Thorne reſpondentis, quem ſpinam Angiice dixeris.

Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, *ſit omnis laus, honor, & gloria, in ſecula ſeculorum*, Amen.

FINIS.